





14

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA 1773
DE
TESTAMENTI DESTITVTI
VIRIBVS. *Ca*

300. QVAM *10*
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE OBTINENDIS


D. VIII. OCTOBR. MDCCLXXIII.


PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT


AVCTOR
CAROLVS FRIDERICVS ZEPERNICK
HALENSIS.



HALAE AD SALAM
TYPIS I. C. HENDEL.







ILLUSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
LIBERO BARONI
CAROLO ABRAHAMO
DE ZEDLITZ

POIENTISSIMI BRUNSVICORUM REGIS
STATVS ET IUSTITIAE MINISTRO ACTUALI INTIMO,
SUPREMI SENATUS ECCLESIASTICI PRAESIDE,
REGIAM UNIVERSITATVM CVMPTORI,
DYNASTAE IN HANNOVER ET MÜNCHENWITZ
ETC.

D. D. D.
AUCTOR.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines, but the characters are too light to be read accurately.




P R A E F A T I O.

Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: hoc forte mihi quidam opponent, qui, perspecta libelli fronte, paradoxo vel quasi iuris ciuilis inuento, me causam incredibilem dicendi copia probabilem reddere voluisse, putant. Sed quam elegans atque verum sit illud Ciceronianum, me tamen non in eo tangit, vt verborum & orationis flore, quo me carere confiteri non erubescō, argumenti veritatem suadere voluissē, verum vt rationibus, ex lympidis fontibus haustis, probarem. Recepta fere in scholis Ictorum opinio est, testamentum herede destitutum, destitutum quoque viribus esse, & pauci Interpretes, huius illiusue fragmenti ex Digestis discerpti occasione, non iniuste contrarium deduxere. Cum autem opinio, a multis defensa, ideo nondum vera sit, contrariiue probationem excludat, eam suscipere ausus. Ipsas leges secutus, adhibita interpretatione, proprietati verborum,

rum, rationi temporum, iurisque analogiae apta, vocataque, luce veritatis, historia in auxilium, adferata aut luculenter probare, aut verosimilia adsequi, conatus sum. Denuo quantam vtilitatem historia, statusue publici imperii romani, pro temporum conditione adeo mutati, cognitio, in interpretandis Legibus praebear, expertus sum, eamque & hodie in dextra applicatione receptorum, vti domesticorum iurium, maxime necessariam esse, puto. Quem vero haec fugiunt? aut saltim cui ignota esse deberent? Mei enim iam non est, post BALDVINVM aliosque magni nominis ICTOS, coniunctionem historiae cum prudentia ciuili commendare. Tantum ergo. Superest instituti rationem exponere. Accipit B. L. partem priorem speciminis, cui illustris quondam agitata causa occasionem praebuit, in qua primas vicissitudinum praecipuarum huius argumenti lineas, me enim omnes enarrasse nec mihi nec aliis suadere posse arbitror, ducere, periculum feci. Eum in finem, & vt memoriae subueniatur, *quinque* Epochas constitui, quarum *prima* tempora ante Augustum ad L. vsque Papiam Poppaeam complectitur; *secunda* L. Papiae & Octauiani successorum ad D. Marcum vsque, mutationes, sistit; *tertia* Diui Marci eiusue ad Constantinum vsque successorum regimen enarrat; *quarta* Constantini & sequentium Imperatorum constitutiones breuiter attingit; & *quinta* iura a Iustiniano variis modis constituta absoluit. Repeto primas tantum esse lineas, si quis enim vniuersam doctrinam rite exponere veller, facile commentarium componere posset. Altera vero pars, quam in aliud tempus differo, vteriozem iuris nouissimi expositionem continebit. Ita vale B. L. mihi que faue.

DIS-



DISSERTATIONIS
DE
TESTAMENTI DESTITVTI
VIRIBVS
SECTIO PRIOR
VICISSITVDINES VIRIVM TESTAMENTI
DESTITVTI SISTENS.



§. I.

Quodsi quis Romae rebus suis legem dixisset, obseruatis omnibus, quae, vt consistere possit testamentum, requiruntur; fieri tamen poterat, vt vltima voluntas patrisfamilias, eum, quem in votis habebat, effectum non fortiretur. Tale testamentum ICTis romanis iure quidem perfectum subsequenti vero facto casuque imperfectum, audiebat. Variis modis id contingere potuisse, iam eos qui primis labris artem degustarunt, non fugit, igiturque operae pretium esse non puto, omnes heic enu-
A me-

merare modos, quibus id accidere potuerit. Sufficiat pro instituti ratione, duplicem notare, cui scilicet vel testator ipse vel heres institutus occasionem praebuit. Vterque enim ad id efficiendum concurrere potest. Proinde fac, iure perfectum testamentum aliquem condidisse, quod tamen postea ob superuenientem causam inhabilitatis, inuolidum effectum est, vel ratio in testatore, vel in herede instituto, latet. Priori in specie testamentum quod *irritum* appellare solemus euenit; posteriori vero *desitutum* seu desertum testamentum vocant Interpretes. Discrimen quod hoc inter et illud versatur in animum, causam quare validitatem amittere dicitur perpendentium, incurrit; quod et veteres iuris archiecti, pro ingenii, quo fere omnes excelluerunt acumine, non neglexere, sed eo probe obseruato, quid vbique iustum intuitumue sit, statuere. Verborum tamen proprietate neglecta, saepe vtrumque promiscue desitutum aut irritum nominarunt, adeo vt, quid de quocumque constituerint, ad perspiciendum non raro difficile sit. Sed irriti testamenti causae vteriori disquisitione, cum iam a mea prouincia longior absit, missa, substituto tamen VIPIANO doctore plenissimo, ^{a)} ad meam rem agendam statim progredior. Qua in re vt mihi B. L. bene faueat, omni obseruantia rogo.

§. II.

Testamenti, quod desitutum dixere, exacte quamuis expositam non inueniamus in nostri iuris articulis definitionem, consideratis tamen, quae de modis, quibus fieri potuerit desitutum, copiose disputarunt, ad colligendum facile videtur, iurium auctores testamentum desitutum appellasse, si ex testamento non adita sit hereditas. Quod cum tam voluntate, quam secus fieri possit, ita forsitan concipienda esset definitio, quod sit testamentum quo heres institutus vel noluit vel ob superuenientem causam in ipso

^{a)} L. 6. D. de iniust. rupt. irrit. testam.

latentem non potuit ex testamento hereditatem adire. *b)* Habes igitur testamenti destituti notionem legibus consentaneam; ita vero appellari videtur eam ob rationem, quoniam herede caret: hocque nomen illi proprium, *c)* interdum tamen et *irritum*, *d)* *desertum*, *e)* nominatur. Modos quosdam, quibus in istam peruenit conditionem, enumerasse video *CAIVM f)* – *quodsi*, ait, *facto posteriori testamento heres scriptus aut ante aditionem hereditatis moriatur, aut viuo testatore defecerit, aut conditio sub qua heres institutus impleta non fuerit.* – Non omnes tamen complexus est species, sed praecipuas, ideoque mei esse arbitror, in sequentibus illas, quantum fieri potuit, recensere et in ordinem redigere, quum discrimen an voluntate repudiauerit hereditatem institutus, an vero necessitate coactus fecerit, interdum mutationem producat, et in genere *VLPIANO* teste, *nolle adire hereditatem non videatur, qui non potest adire.* *g)* Restat adhuc exponere, quid mihi sub virium nomine, quas in sequentibus testamento destituito tribui, veniat. Vis, siue vires diuersis in iure tribui, indeque varia denotare, apud hos videre licet, qui verborum significationes indagarunt. *h)* Inter alia vero vltimas voluntates istis gaudere, permulta *ICTORUM* fragmenta nos docent, ex quorum instituta comparatione, dum praesertim qualitatem significare, ex qua voluntas aliquid efficit, concludere possumus. *i)* Hoc significatu iam

A 2

b) L. 1. D. de iniust. rupt. irrit. test. *CAIVS* Institut. L. II. T. 3. §. 4. §. 7. *F.* de hereditat. quae ab intest. deserunt.

c) §. 7. *F.* de hereditat. quae ab intest. L. 72. D. ad L. Falcid.

d) L. 1. D. de iniust. rupt. *VLPIAN.* fragment. Tit. XXIII. §. 4.

e) §. 8. *F.* de her. quae ab intest.

f) Institution. Lib. II. Tit. 3. §. 4.

g) L. 4. D. de acquirend. vel omit. res. d. hereditat.

h) *Barnab. BRISSON.* de verborum signif. h. voc.

i) L. 2. D. de his qui dolent. L. 8. D. de hereditat. petit. L. 13. §. 2. D.

ad *SCt. Trebellian.* L. 36. §. 4. D. de restant. milit. L. 6. §. 12. D. de iniust.

rupt. irrit. L. 11. C. de testament. L. 2. C. qui non ad libert.

iam arrogato, vim testamenti destituti qualitatem elogii esse, ex qua effectus quos testator intendit producit, quamquam hereditatem institutus non adierit, defenderem.

§. III.

Attamen ut, quod promisi rite adimpleam, necessarium puto diuersa fata variasque vicissitudines enarrare, quas argumentum expertum est. Recte olim perillustr. Fridericianae nostrae Cancellarius, *Io. P. a LVDEWIG* dixit: *notissimum est quod nemo penetret in iuris romani arcana, nisi ille qui in quouis apice distinxerit tempora reipublicae romanae diuersa, habueritque in numero quid PRINCIPIO, quid TUM et quid POSTEA obtinuerit* ^k). Hoc artificio comite periculum faciam, an aliquid efficere possim. Ipsum quidem testamentum destitutum adeo varias non expertum est mutationes, licet pro temporum ratione modi, quibus in istam conditionem elogium redigi potuit, varii fuerint, neque, si tale nihilominus permanere debebat, variationes essentiam attingentes, habere potuit, cum, rei natura mutata, impossibile sit, ut ipsa res eadem adhuc maneat. At virium eius causam aliter comparatam esse, proque temporum iurisque ratione diuersam, ex infra dicendis appariturum, censeo: varia enim sensim sensimque inducta sunt, quae nisi proxime, remote tamen magnam in nostrum argumentum ostenderunt vim, et, ut antea necessario statuendum, nunc amplius adsumi nequeat, effecerunt.

§. IV.

Exhibeamus igitur primam quasi tabulam, conditionemque destituti testamenti eiusue virium, a primis temporibus ad Augustum usque videamus. Ad originem testamentifactionis autem, vel ad regum tempora et conditionem ante Leges de-

cem-

^k) In praefatione *BALDYNI cateches. iuris* praemissa §. 4.

cemuirales egredi, superfluum duco, quum, testamentum in comitiis aequae ac per aes et libram conditum, desertum euadere potuisse, certum sit. Magis ad rem pertinere eamue illustrare arbitror, si diuersas heredum institutorum species separemus, et an omnes testamenta destituta facere potuerint determinemus. Tres autem eorum quasi familias esse, ex *Caii* ^{l)} et Imperatoris *Iustiniani* ^{m)} institutione discimus, sui scilicet et necessarii, necessarii, et voluntarii seu extranei: quorum vnus alterue instituendus. Suus heres, qui, *ut Symmachus* ait, non tam scribitur quam gignitur, ⁿ⁾ proximus erat atque necessarius his temporibus, quibus abstinendi beneficium nondum erat consecutus, citra voluntatem heres fiebat. Quod, licet magis in legitima successione adpareat, in testamentaria tamen aequae locum sibi vindicat, heredem scilicet alio non accedente facto, neque aditione neque imixtione, ^{o)} extitisse, et a parente scriptum heredis locum occupasse, siue voluerit siue non. Quod cum adhuc fragmentis *Ictorum* doceamur, quorum aetate beneficium abstinendi inuentum vsitatumque erat, magis eo tempore quo plane incognitum, valuisse putandum. ^{p)} Suum igitur heredem voluntate testamenti causam deferere non potuisse, exinde luculenter patet, quod ipsius arbitrio plane nihil fuerit relictum, sed, quoniam a parente institutus, heres ex testamento fieri debuerit. ^{q)} At forsitan necessario, siue ex iuris ciuilibus ratione, voluntatem reddere potuisse destitutam, quis credere posset? si scilicet in istam peruenisset conditionem, *ut* ex testamento aliquid capere non valeat? Sed nec hoc fuisse credo. Hoc enim modo, quem infra mere ciuilem

A 3

l) *Institution. libr. II. Tir. 3. §. 6.*

m) *Pr. I. de hered. qual. et differ. ferent.*

n) *Lib. I. Ep. 9.*

o) *Ioseph. Aueran. Interpret. iur. L. I. c. 9. n. 14.*

p) *§. 2. J. de hered. qual. et differ. vent. L. 50. §. 5. D. de bon. lib. l. 1. §. 7. D. si quis omiff. caus. test. l. 14. D. de suis et legitim.*

q) *Dist. §. 2. J. de hered. qual. et differ. ferent.*

lem appellauit, si destituere uoluisset heres suus parentis testamentum, aliquod saltem temporis spatium mortem inter et acquisitionem hereditatis adesse debuisset, in quo ei tale quid contigisset, ut heres fieri non posset. Atqui in suo herede id cogitari nequit, cum, ut probatum dedi, statim ac morte testatoris, in cuius potestate uersabatur patria, confirmaretur elogium, nullo accedente facto, sed ipso iure heres efficiatur, uniuerso iure quod penes defunctum erat in ipsum deuoluto. Ab illo tamen nondum discedere possum, aliquos modos quibus desertum effici potest testamentum adhuc superesse, perspicuiens. Pertinet huc species illa, quam naturalis modi nomen comprehendere omnino posset, si scilicet institutus heres morte naturali impediatur quo minus sibi ex testamento delatam hereditatem adire queat. Sed id in suo herede nostris temporibus euenire non potuisse, iisdem ex causis ex quibus alii modi non procederent, statuendum; quodsi enim mors instituti heredis aditionem impedit, aliquod temporis spatium, quo nondum heres fuit, cogitandum: id uero iura ignorant, quae ne minimum momentum patris inter mortem filiique acquisitionem statuunt ²⁾, in quo decedere potuisset. Praeclare haec demonstrat difficilis quaestio, quam adhuc decidere uolumus: an scilicet parentis testamentum destitutum fiat, si cum filio herede instituto, in eodem periculo vitam amiserit, neque probari possit quis alteri superuixerit. Redit sane haec species ad subtiliores iuris apices, eam tamen Prudentes intactam non reliquerunt: dubia in hac causa discernunt, an filius in pubertate fuerit adhuc constitutus, an illam egressus sit: priori in casu praesumunt patrem superuixisse filio, eius naturam debiliorem existimantes, quam ut periculum longe perferre potuisset; posteriori uero filio longiorem vitam tribuunt ac parenti. ³⁾ Ex hac distinctione ad propositam quaestionem negatiue

²⁾ uide LL. not. p) citat.

³⁾ L. 9. §. ult. D. de reb. dub. L. 23. D.

respondeo, in utroque nimirum casu testamentum destitutum non esse; si enim filius ante patrem decessisse praesumitur, institutus ante testatorem factus, testamentum nullum reddit, in altera vero specie, filius post parentem demortuus existit heres ex testamento, qualis simulac pater obiit, factus est. Et licet sequioris aevi ICti ita responderint, eorum tamen sententiam nostris temporibus applicare non dubitavi, quo magis certum, antiquos Prudentes dubiis in causis in fauorem filiorum, ut successores, responsa edidisse. ^{r)} Haec ita, si heres suus pure institutus. Sed iam ad difficiliorem veniamus speciem, si scilicet filius sub conditione institutus erat. Sui quidem conditione adiecta institui poterant, sed tali quae ab eorum pendeat potestate. ^{u)} Reliquae enim, nisi in contrario euentu exheredatio scripta, inutilem reddebant institutionem ^{x)}; quum, ut CUIACII ^{y)} ratio est, tunc nec instituti fuissent, nec exheredati. Imo haec conditio filio ad scripta, monente VLPIANO ^{z)}, expletu facilis sit, necessè erat, cuius instituti rationem hanc tradere solent, quod filiusfam. iam adeo recte sit cum testatore iunctus, ut sui patrimonii, non alieni dominium et liberio rem rerum paternarum administrationem acquirat. ^{a)} Quaeuis enim conditio potestatiua expletu facilis non est, ceu exempla docent ^{b)}, sed circumstantiae istam difficilem omnino reddere queunt. Iam si conditio

ex

D. cod. L. 26. pr. D. de pact. dotal. L. 17. §. 7. D. ad Sc. Trebellian. Andr. ALCIAT. de praesumption. I, 49. Iul. FACII ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ. Cent. VIII. qu. 75.

^{r)} Non solum in genere hoc discrimen ICti seruant, sed et per singula demonstrant. cfr. Ios. AVERAN. *Interpr.* I, 9, 24.

^{u)} *L. 4. D. de hered. inst. L. 86. D. cod. L. 28. D. de cond. instir.*

^{x)} *L. 4. C. de instir. Et substir.*

^{y)} *In recitation. ad PAPIAN. Lib. XIII. quae. ad L. 28. D. de cond. inst.*

^{z)} *cit. L. 4. §. 1. D. de her. instir.*

^{a)} *Cf. Io. Iust. RAVENSBERG de condition. vltim. vol. pag. 33. seq.*

^{b)} *L. 4. pr. D. de her. instir. uend.*

ex filii arbitrio pendens atque facilis, institutioni adposita, neque filius illam adimpleat, quaeri posset an reddat testamentum non parendo destitutum? Mentem suam hac de re claram non exposuit VLPIANVS, c) verba audiunt: sed *utrum ita demum institutio effectum habeat, si paruerit conditioni, an et si non paruerit et decessit? Iulianus putat, filium sub eiusmodi conditione institutum, etiam si conditioni non paruerit, summotum esse; & ideo si coheredem habeat ita institutus, non debere eum expectare, donec conditioni pareat filius: cum etsi patrem intestatum faceret non parendo conditioni, proculdubio expectare deberet. Quae sententia probabilis mihi videtur: ut sub ea conditione institutus, quae in arbitrio eius sit, patrem intestatum non faciat.* Refert, probat atque declarat ICtus sententiam IULIANI. Casum autem praecipue illum sibi fecisse videtur, quo filius sub conditione institutus coheredem habebat, eiusue occasione disquirat, an iste cohaeres filii implementum conditionis expectare debeat? Negando respondet: permittens coheredi adire partem suam, quoniam filius non parendo patrem intestatum non reddit, nec, ipso licet ab hereditate, in poenam negligentiae, submoto, coheredis institutio inutilis fiat. Ita quidem hanc perdifficilem legem explicarem, ex qua, quantum ad meum attinet argumentum, testamentum patris vires non amittere, licet ex parte destitutum sit, deduco. Hunc enim sensum verbis, intestatum non reddit, tribuo: quod tempore VLPIANI eo magis sibi locum vindicabat, quo certius erat, filium, ommissa testamenti causa, hereditatem ab intestato adeuntem, ex infra explicando Praeroris edicto: si quis ommissa causa testamenti &c. omnia in testamento disposita nihilominus praestare debuisset, quae & Fr. CONNANI sententia est c).

§. V.

c) *Cis. l. 4. pr. D. de hered. insti-
tuend.*cc) *Commentar. Iur. Ciuil. Lib. X.
Cap. 2. n. 4.*

§. V.

Ad alteram heredum speciem, necessarios scilicet, venio, qui, siue velint, siue nolint, onera heredis, pro libertatis inaeestimabili beneficio, suscipere, imo, ut CAIVS ^{d)} loquitur, infamiam pro dominiis incurrere, obligati erant: si nimirum defuncti bona adeo erant obaerata, ut creditores illa venderent. Tunc enim liberti heredis bona magis quam patroni, dirum illud fatum experiri videbantur, qui, ex mente CONSTANTINI ^{e)}, non magis patrimonium quam infamiam, qua scilicet venditio sub hasta coniuncta, consequutus erat. Ad necessarios vltimum quasi refugium, cum neque abstinere, neque delatam hereditatem repudiare valerent. Licet enim postea vnus alterue separationis beneficium a Praetore impetraret, si scilicet, monente VLPIANO ^{f)}, non attigerit bona patroni, in eaque causa sit, ut ei quicquid postea acquisuerit, separetur, sed & si quid ei a testatore debetur; illud tamen beneficium non possum, non sequiori aevo adscribere, quo feruorum conditio, non adeo rigida ac olim deprehenditur. Deinde vero non, uti suis heredibus beneficium abstinendi, separatio omnibus tributa, eius facultas concessa, illa vtendi vel minus, sed vni alteriue tantum, sub dictis conditionibus eam a Praetore petere, edictumue expectare, ^{g)} relictum est. Ne dicam, illud beneficium huc plane non pertinere, cum eo impetrato nihilofecius heres maneat, & creditores ex patroni duntaxat bonis sibi satisfacere sint obligati, liberti bonis post mortem patroni quaesitis, debitifue a testatore, saluis atque illaesis, relictis. Necessario igitur herede instituto, testamentum destitutum

d) Institution. Lib. II. Tit. 3. §. 6. f) L. 1. §. vlt. D. de separat.
 §. 1. I. de her. qual. & differ.
 e) L. 3. C. Th. de inoff. testam. g) L. 1. pr. D. eod.

tum fieri potuisse, vix putandum, siquidem eadem inpedimenta in eo inuenimus, quae, quo minus admittere possimus, in suo deprehendimus. Cum enim aditione illi non opus esset, sed defuncto testatore statim heres suiue iuris fieret, cogitari nequit, quomodo morte naturali impediri potuisset; neque dubito, romani iuris peritos, in dubia quaestione, si cum domino in eodem periculo extinctus esset, in prioris fauorem responsa concepisse, quo nimirum famam illius seruent. Voluntate vero per repudiationem aut separationem, eodem modo subducere se non potuit, quippe illa necessario heredi relicta non erat, haec autem, si quoque huc pertineret, nondum excogitata videtur.

§. VI.

Succedunt tandem heredes voluntarii, qui omni modo, tam naturali quam ciuili, tam voluntate quam necessitate, testamentum destitutum reddere queunt, si ex testamento hereditatem non subeant. Exclamati enim iuris est, extraneum hereditatem, cui delata hereditas, nisi per aditionem heredem fieri, sicque necessario hunc actum ad institutionem accedere eamque firmare debere: eo autem semel celebrato, repudiandi licentiam omnem esse ademptam ^{b)}, paucisue tantum restitutionis auxilium competere ^{d)}. Quae cum ita sint, iis modis quibus aditio ex testamento fieri non poterat, testamentum destitutum fiebat. Voluntarios autem heredes non vnus esse generis, paulo curatius eos si contemplantur, inueniemus; inueniemus nimirum alios adhuc ab in-

^{b)} PAVL. *receptar. sentent. Lib. III.*

T. 4. §. ult. L. 7. §. 10. D. de minor.

L. 88. D. de hered. inst. L. 4. C. de re

pu diand vel abstinend. hereditat. Ios-

AVERAN Interpret. iur. L. 1. c. 12.

n. 23.

^{d)} *L. 7. §. 4. 9. D. de minor.*

Impe trata restitutione in integrum, aditio pro

non facta habetur, & testamentum de-

stituitur. Nec contrarium ex L. 7. §. 10.

D. eod. probari potest.

intestato succedere posse, alios vero non. Haud praetermittenda erat ista diuisio, quum priores, facto licet testamento irrito, in fraudem legatariorum, eorumque quos testator in ultimo honorauerat elogio, causa testamenti omiſſa, nihilofecius hereditatem caperent. Noſtris enim cuius fata narramus temporibus, haud raro contingere ſolebat, vt ſcripti legitimi heredes, ſpreto institutionis honore oneribus coniuncto, omiſſaque cauſa testamenti, ^{k)} ab intestato & tamquam legitimi ſuccederent. Duplici ex ratione, altera iuſta, vituperanda fraudiſue plena altera, id eueniſſe, omnibus perpensis, inuenio. Fac enim teſtatoſem non obaeratam ſolum hereditatem reliquiſſe, ſed inſtituto heredi adeo quoque graues iniunxiſſe praestationes, vt omnibus ſubductis bonorum vniuerſitas non ſufficeret, inſtitutus heres ſibi aliter proſpicere non poterat, quam teſtamenti cauſam vt omitteret, et tamquam legitimus hereditatem adiret. Quo facto ad ſoluendum quidem aes alienum, non vero praestanda legata erat obligatus, quae omnia prout ſcripta, ſi ex teſtamento adiiſſet, praestanda fuiſſent integra, L. Falcidia nondum cognita. Contra ſi mecum cogites inſtitutum legitimum ideo cauſam omittentem, ne pauca forſan iniuncta praestet onera, certe, iniuſtum tibi hoc factum videri, iudicabis. Vterque vero, meo quidem iudicio, teſtamentum deſtituebat, heres enim ab inteſtato, non ex teſtamento erat, neglecta aditione ex voluntate vltima: vterque etiam nihil ex teſtamento praestabat, quoniam deſtitutum erat, cui quidem adhuc vires denego. Neque enim Praetoris edictum: ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti &c. his temporibus iam exiſtiſſe, cenſeo, ex quo ſcilicet nihilofecius omnia ex teſtamento praestanda erant. Hic igitur modus legitimis inſtitutis proprius videtur: iam ad reliquos tranſeamus, omnibus voluntariis communes.

B 2

§. VII.

k) L. 70. D. de acq. vel omittend. hered.

§. VII.

Et voluntate quidem mera, siue eo, quod hereditatem adire recusaret, quilibet eorum testamentum in deserti conditionem perducere poterat; neminem enim extraneorum delatam sibi hereditatem adire cogebant romani, sed cuiusuis relinquebant iudicio, an actum celebrare vellet istum, an omittere. Non adita vero hereditate ex testamento, illoque defuncto, legitimi successores testatoris bona consequerentur, ^{l)} indeque ICTi, ^{m)} et adhuc IVSTINIANVS, ⁿ⁾ ad causas, ex quibus successio legitimis defertur, recusatam hereditatem numerant, defunctumque non improprie intestatum decessisse, adferunt. Fraude quidem aequae ac prudentia, ut nimirum proprium seruarent patrimonium, id facere potuisse verum est, illud tamen lucrum non percipiebant, quod legitimis ab intestato aduentibus cedebat, omni emolumento ad legitimos vocatos peruento. Cum vero testatores, sanguinis vinculo non iunctis, saepe magis ac cognatis, forsitan malefieriatis, fauerent, attamen ignorarent, an suprema voluntas exitum, quem in votis habebant, fortiretur, et an heres institutus adiret, contrario euentui obuiam ire, et, quantum fieri poterat, legitimos ab hereditate arcere, studebant. Plures igitur heredes aut ita instituebant, ut inuentum a Prudentibus iuris accrescendi artificium, hoc vel illo deficiente, applicari posset, aut substitutionem, more maiorum inductam, in usus conuertebant suos. Priori enim artificio impediabant, quo minus testati pro parte, pro parte intestati decederent, altero autem praesertim testamentum destitutum submouebant, cum priori herede non aduente, alius adhuc superesset, qui locum replere posset vacuum.

Sed ad modos quibus mera voluntate desertum efficitur vltimum elogium non immerito referendum puto casum, quo

^{l)} PAVL *recept. sentent.* L. III. T. 4. §. 1.

^{m)} CAIVS *Institut.* L. II. T. 3. §. 4. L. 1. D. *de suis et leg.*

ⁿ⁾ pr. I. *de her. qui ab intestat.*

ob conditionem potestatiuam institutioni adscriptam non impletam, aditio hereditatis, ab obseruatione conditionis pendens, non admittitur. Varia quidem exempla nos docent, adpositas institutionibus conditiones plerumque Ictis non placuisse, ^{o)} nihilominus tamen, ob seruandam defuncti voluntatem, iis expressam ^{p)}, heredem aliter, ac illis rite obseruatis, non admittebant. Quodsi nunc illam non adimpleret, aditionem inde pendentem celebrare non poterat, adeoque testamentum destituebat.

Neque tamen voluntas instituti sola, deserti testamenti est causa, necessarium saepe reperitur impedimentum, quo minus aditio celebrari possit. Ratio tum vel in natura ipsa, vel in iuris ciuilibus dispositione latet. Natura scilicet obest, si morte interueniente, declarare non potuit institutus, an ex testamento heres esse, sicque hereditatem subire, velit: quo facto, cum non adita hereditas nostro aeuo in vnico tantum casu transmitteretur, ^{q)} testamentum quouis fere casu destituebatur. Idem deprehendere puto, si naturalis ratio obsistat, quo minus scriptam conditionem institutus adimplere valeat; aut tandem ne qualitercunque, si casu regebatur, existeret, eiusue indolis non esset, vt, quamuis non existerit, pro adimpleta haberi queat. ^{r)} Quacunque igitur in specie, cum heres hereditatem adire non potuerit, testamentum caret herede, et est destitutum.

§. VIII.

In sola tandem iuris ciuilibus ratione interdum causa latebat, quare institutus hereditatem ex testamento adire non poterat,

B 3
^{o)} v. c. pure adittebant, conditionate et pure in eodem testamento scriptum. L. 27. §. 1. L. 67. D. de hered. instit. ex parte pure, ex parte conditionate scripto, pendente conditione ex asse adire permittebant. L. 52. §. 1. D. de acq. vel omitt. hered.

^{p)} L. 19. D. de condit. et demonstrat. L. 35. §. 3. D. de her. instit.

^{q)} In suis scilicet, cum reliqui modi recentiores sint.

^{r)} Quarum exempla vid. ap. CRELL an conditio quae propt. cas. impler. neq. pro impl. hab. Viteb. 1735.

erat, sed testamentum citra voluntatem suam destituebat. Nam quemadmodum Romae non cuique licebat testamentum condere, ita et ex cuius romani testamento quilibet emolumentum capere non poterat. Per omnem aetatem id seruasse Quirites, ex Ictis facile probari posset ¹⁾; ne tamen recentiora antiquis miscere videar, vnum C I C E R O N I S locum excitabo, ex quo abunde patent necessariae ad aditionem hereditatis qualitates. Cum scilicet probare veller, Archiam poetam ciuem romanum esse, aliis argumentis hoc iungebat: *et saepe fecit nostris legibus testamentum, et adiit hereditates ciuium romanorum.* ²⁾ Is igitur qui delatam hereditatem adire veller, ciuitatis iuribus gaudeat necesse erat, adeoque facultatem capiendi ex testamento amittebat, amisso statu ciuitatis. Quare gloriatur T V L L I V S, cum, a Clodio in exilium missus, redux in patriam gratias ageret, se numquam peregrinum esse factum, quoniam absentem amici illum in testamentis instituisent, non timentes, ne exitu carerent.

Isto tamen vitio institutus in testamento tempore confectionis carere debebat, quum alias elogium iustum validumque non fuisset, quale tamen destitui tantum potest: intra confectionem igitur mortisue testatoris, huiusce et aditionis tempus, contingere debuisse, intellectu non difficile. Quodsi ergo institutus intra haec tempora in eum incidisset statum, in quo cum testatore testamentifactionem non haberet, hereditatem illius ideo capere non valebat, quoniam conditionis mutatio obsisteret, quo minus illam ex testamento adire possit. Iam vero, si quis ob superuenientem

¹⁾ Breuibus ait V L P I A N V S Fragm. Tit. XXII. §. 2. *Ei tantum possunt heredes institui, qui cum testatore testamentifactionem habent.* Vberius id exposuit F L O R E N T I N V S L. 14. §. 1. *D. de hered. instituend.* cuius fragmenti receptam lectionem contra

emendationem Petri de T O V L L I E U in *Collectan.* p. 44. vindicauit A. F L O R I N V S in *Florentini iurisp. testamentar.* in fin. adde L. 49. & 50. *D. cod. et §. 4. F. de her. qual. et differrent.*

²⁾ *Or. pro Archia poet. cap. V.*

rem causam in ipsius persona latentem, aditionem celebrare nequit, testamentum destituitur herede, ergo tale hoc loco deprehenditur, quo maxime necessaria qualitas in instituto adesse desit. Magis id adfirmandum si libertatis statum amiserit institutus, et in seruitutem redactus sit, quod facile, delicto commisso, accidisse, vltiori probatione vix eget.

§. IX.

Haec de causis, ex quibus destitutum sit testamentum. Forfan autem, in eo, vt omnia ad hereditatis aditionem, ipsa Catonis regula neglecta, retulerim, me falsa adfirmasse, dicet quispiam? Sed quod ad prius spectat, tam ex ICtorum fragmentis, quam ex definitione destituti testamenti suppeditata, luculenter patet, omnia ad factam aut omissam aditionem redire, eamque ob causam vltimam voluntatem desertae conditionem consequi, quoniam institutus heres, ex illius tenore hereditatem aut noluit, aut non potuit subire. Iam si hoc verum, ad id respiciendum esse, de quo pender, an testamentum tale fiat, an minus, nemo inficias ibit; quod cum ego obseruauerim, peccasse non puto. Ad regulam Catonianam vero, ideo non respexi, quoniam illa teste PAPINIANO ^{u)} ad hereditates non pertinet, sed ab aucto-

re

^{u)} L. 3. D. de regul. Catonian. Quamquam id a IAC. CUIACIO in dubium vocatur, in *Recitation. ad Papinian. lib. XV. Quaestion.* ad h. l. quare et hereditates in libertates mutat lib. IV. *Observation. cap. 4.* consentiente MURETO in not. ad L. 13. D. de testam. milit. ad calcem *Commentar. ad Institutur. cura Io. van de WATER edit.* pag. 637. Ratio, quare negat CUIACIUS, ad hereditates regulam pertinere, est, quod legati verbum

omnem institutionem mortisue occasione dispositionem comprehendat, vt stipulatio omnem inter viuos actum exprimere solet vid. Henr. SCHMUEK ad LABITTI *Indicem Pandect.* in *Abr. WIELING Iurispr. Restitut. Tom. II. pag. 62. not. m.* Deinde quoniam VLPPIANVS L. 4. D. h. t. scribit regulam ad conditionales institutiones non pertinere: ex quibus concludit ad puras pertinere.

re CATONE *) legatorum pure scriptorum causa excogitata, et postea demum adeo late extensa, ut ad quaecunque fere sit applicata. LICINII vero RUFINI regula ex qua *institutio ab initio inutilis ex post facto conualescere non potest*,¹⁾ et PAULI generale effatum: *quod initio vitiosum tractu temporis conualescere non possit*,²⁾ mihi non obstant, cum ipse adfirmaverim, institutum heredem initio capacem esse debere, cum, in aduersa specie, testamentum ab initio imperfectum, desitui nequeat.

§. X.

Ita, quantum fieri potuit, enumeratis causis modisue, quibus eo perduci queat testamentum, ut desitutum dici mereatur, heredibusque designatis, qui id efficere valeant; nunc in summam subductis omnibus videamus, an tali testamento vires tribuere possimus. Et si quid video, his temporibus ex testamento herede desituito nihil esse praesitutum, adfirmandum, cum ab hereditatis ex testamento adirione nimia penderent, eaque non secuta ipsum elogium nihil efficeret. Accidente ergo eius generis casu, quo heres institutus hereditatem adire non poterat, coruebant omnia in testamento disposita, et quasi non disposita et non scripta erant: hinc nec tutelae datio, nec exhereditatio, nec quicquid aliud vim aliquam monstrabat. Quoad successionem vero, rem ad causam intestati rediisse, adeoque, suis deficientibus, agna-

*) Non conveniunt Eruditi, quem faciunt auctorem nostrae regulae, seu, ut IULIANVS eam vocat, sententiae L. 86. D. de condit. et demonstr. Iuniorum fuisse autumant Fr. BALDVINVS ad regul. Catonian. p. m. 366. Hieronym. de oroz de apicib. iur. Lib. 1. cap. 1. n. 7. SCHILTER Exercitat. ad Pandect. Exercitat. XXXIX. §. 120. HEI-

NECC. ad L. Iul. et Pap. Pop. L. III. cap. 2. §. 3. et in Hist. Iur. rom. §. 137. Chr. Gottfr. HOFMANN. Histor. Iur. rom. T. I. pag. 324. WESTENBERG in Digest. h. t. §. 1. Alii tribuunt seniori, quibuscum fecisse videtur BACH

1) L. 210. D. de R. J.

2) L. 29. D. eod.

agnatos, aut gentiles ex functione Decemvirali, bona defuncti occupasse, eosue, cum non ex defuncti beneficio hereditatem consecuti essent, nihil praestitisse, sed creditoribus duntaxat satisfecisse, cum bona non nisi deducto aere alieno intelligantur, putandum. Neque aliud, si heredes legitimi instituti, testamenti causam frivole omiserant, statuendum esse arbitror; cum Praetoris edictum, eam ob rationem datum, his temporibus extitisse probare non ausim, contrarium tamen lubenter admitterem, et in hoc casu defuito testamento vires tribuerem, si quis datum fuisse probaret. Vocati igitur agnati & gentiles ad successionem remoto testamento, gentilitatem probare debebant: a) cum vero plebeiae familiae id persaepe non potuerint, bona nunc vacantia in fiscum redacta esse, censet CHLADENIVS V. C. b). Quod per se quidem verum esse potest, si sub fisci nomine doctissimus vir aeriarium intelligat, quod his temporibus solum erat cognitum, et ei quidem illara esse censeo, in quod vestigalia atque tributa civium sociorumque ad bella ordinaria conficienda redigi solebant c). Rarius tamen id accidisse eam ob causam censeo, quod inter legitimos successores ius accrescendi vigeat, et adeo facile contingere

a) Hanc probationem patricii praefertim ex imaginibus suscipiebant, quare adeo facile hereditariae in gentes irrepere non poterant, quod interdum accidisse, testatur Trebellius Calca apud VALERIVM MAXIM. Lib. IX. cap. 15. n. 5. qui asseueranter se Clodium tulit, ceu verba audiunt, et in iudicio Centumvirali, ad gentilitatum causas peragendas constituto, CICERO de Orator. I, 38. fere vicit. Cfr. E. M. CHLADENIVS V. C. de gentilitat. roman. cap. 3.

b) Loc. allegat. p. 38.

c) Vid. CAR. SIGON. de antiq. iur. pop. roman. in addend. ad Lib. I. pag. 825. edit. cum praef. THOMASII. In hoc et bona peregrinorum venisse ex CICERONE de orator I, 39. probari solet, vid. ABR. WIELING. Lektion. iur. pag. 286. quo tamen fundamento non perspicio, cum ibi causae centumviralis notatu dignae, et in qua iuris applicationis obscuri, iam patefacti, mentio fiat.

C

gere non poterat, vt omnes omnino deficerent. Et iam transeamus ad frequentia.

§. XI.

OCTAVIANI AVGVSTI regimen, Quiritibus adeo gratum, vt solenni acclamatione, simile nouis optarent Imperatoribus, nobis, ob Legem Papiam Poppaeam, ipso auctore rogatam, cui quidem locum nostrum insignes debere mutationes censeo, notatu dignissimum sit. Quamquam enim FALCIDIVS plebisciti sui auctoritate, testatorum voluntates, securas reddere, earumque defertionem impedire vellet; illius tantum mentionem, cum per omnia finem non impetratus sit, huc fecisse, sufficere arbitror. Sicut autem *Falcidii* vltima seruare elogia intentio erat, ita Legem Papiam, ad irrita, augendi aerarii causa, efficienda, excogitatam esse adfirmare possumus. Huius autem primordia iam exhibere superfluum duco, cum primi ordinis ICTorum, BALDVINI scilicet, GOTHOFREDI, RAMOS DEL MANZANO, atque HEINECCII elegans diligentia, istam causam satis superque illustrauerit, & praeter leues flores spargendos, fere nihil reliquerit. Variis scilicet hacce lege, aerarii maxime, TACITO^{d)} sane teste, locupletandi causa lata, quibus ex testamento capiendi redderentur ciues incapaces, inductis modis; tot eo ipso vltimas voluntates, veteri religione quasi contemta, infirmandi stabilitur artificia, callidus auctor; & simul omnia, vel vacantium vel alio hunc in finem excogitato nomine, insignita, populi thesauris addixit.

Libertatis enim specie subacto populo affectans, aerarium reliquit, cui caduca, quaeque ex testamentis capi non poterant, addicta esse TACITVM^{e)} clarissimum testem habeo: &

SCHVL-

^{d)} *Annal. Lib. III. c. 25*

^{e)} *Lib. III. Annal. cap. 28. populus velut parens omnium vacantia teneret.*

SCHVLTINGIVS^{f)} atque PÜTMANNVS^{g)}, Viri de nostra arte optime meriti, rationibus superarunt eos, qui, temporum ordine neglecto, ea iam his temporibus fisco esse illata, sibi persuadent. Docuerunt etiam cum *Vlr. HVBERO* ^{h)} hocce discrimen non diu durasse, sed subsequentes Imperatores, qui et ipsam reip. imaginem timuere, illud plane eliminasse: eum in finem tam ad TACITVM ⁱ⁾ prouocantes, Seiani bona relata ex fisco in aerarium narrantem, addenteraue: *quasi referret*; quam DIONEM CASSIVM ^{k)}, magis λογω quam εγω differentiam fuisse, notantem: quae tamen breuitatis studio iam sepono. Iuuat potius paucis disquire: an hereditates, per testamenti destitutionem vacantes factae, aerario sint illatae, an forte legitimis antea cesserint heredibus? Omnes fere in eam discedentes inuenio sententiam: hance legem priuatorum hereditatibus adeo infaustam, beneficio accrescendi inter coheredes atque legatarios simul honoratos, paucis exceptis, ob vilitatem publicam, sublato, partes quidem patrimonii caducas fecisse; ad hereditates autem integras, per omissam ex testamento aditionem caducas aut vacantes factas, vim suam non extendisse, sed ad has potius, vti iure antiquo, successores legitimos vocatos, iisque demum deficientibus aut refragantibus, patrimonium in aerarium delatum esse ^{l)}. Equidem ad fragmentum PAVLI ^{m)} prouocant, sed, quod tantorum manium pace dixerim, probata inde sententia haud videtur. Varios ibi casus decidit ICtus, qui autem omnes fere quaestionem concernunt, an variis ex partibus institutus, vnam, altera omissa, acquirere possit.

C 2

f) ad IUL. PAVL. *Recept. sentent.*
Lib. V. T. II. pr. & ad VLP. *Fragm.*
Tit. VI.

g) *Observation Cap. 36.*

h) *Digressio Lib. 3. Cap. 21.*

i) *Annal. Lib. VI. Cap. 2.*

k) *Lib. LIII.*

l) *Fr. BALDUIN. ad L. Pap. Pop.*
p. 109. & in *Commentar. ad Inst.* p.
367. HEINECC. *ad L. Jul. & Pap.*
Popp. p. 404.

m) *L. 80. D. de acquir. vel omittend.*
hered.

fit. Arriperem forte, quod eundem ICTum auctorem laudat, fragmentum, vbi: *In plurium heredum gradibus hoc seruandum est, ut si testamentum proferatur prius a scriptis incipiatur; deinde transitus fiat ad eos, ad quos legitima hereditas pertinet: etiam si idem sit, ad quem utroque modo pertineat. Nam hoc gradatim consequitur ut prius ex testamento delatam, deinde legitimam repudiet – & ideo dicendum est, – si respondit neutram hereditatem ad se velle pertinere defuncti bona a creditoribus possidenda sunt n). Ex voto ICTus respondisse videtur, quum primum successionis locum instituto tribuat, siquidem *quamdiu ex testamento adiri potest hereditas ab intestato non defertur o), & tamdiu legitimus heres non admittitur, quamdiu valere possit testamentum p). Testamentario igitur herede deficiente vocat legitimum, quo non adente, creditoribus facultatem defuncti bona possidendi tribuit. Sanctum vero, quod fisco in ista bona tribuere solent, de succedendi iure, omnino PAVLI nostri silentium. Adducunt alium huius ICTi locum q), at melius praesidium non inueniunt, cum auctor in isto discrimen iuris inter & facti ignorantiam, exemplo declarat. Neque aliud respondeo ad tertium locum r), nisi plane huc non pertinere, cum ipsius auctor quaestionem: quatenam conditiones ignorante herede impletae, aditionem hereditatis impediunt? tractet, & inter conditionem quae in facto consistit & quae iuris est distinguat, primamque aditionem impedire, non vero alteram, doctrina ad heredem ex parte applicata, adfirmet. Vltimus tandem locus aequè parum firmus est s). Nam PAVLVS, quem inscriptio auctorem laudat, quaestionem in mente**

n) L. 70. D. eod.

o) L. 89. D. de R. I.

p) L. 39. eod.

q) L. 1. §. f. D. de iur. & fact. ignorant.

r) IULIAN. L. 21. D. de condit. & demonstr.

s) L. 63. D. de acquir. vel omitrend. hered.

mente habuisse videtur: an seruus plurium institutus, non aliter ac omnium dominorum iussu adire queat? quam negando decedit, ita vt non solum omnium dominorum iussu simul, sed et singulorum separatis temporibus recte hereditatem adire possit, ne alterius festinatione, alterius ius laedatur. His ita comparatis, subdubito, testamento destituto, hereditate ex L. Papia caduca, heredes legitimos aerario praeferendos, docentes, vera docere: & vt statim, destituente quoad minimum voluntario solo, in aerarium caduca hereditas exclusis legitimis redacta esset, admitterem. Passus enim ex Ictorum scriptis excitati, relictam opinionem nullo probant modo, neque, si aperte dicerent essent admittendi, cum eorum auctores sint iuniores: Adeoque vltiori refutatione non egent. Deinde accuratus scriptor TACITVS *) nobis reliquit, bona vacantia, si a priuilegiis parentum cessaretur, populum velur omnium parentem tenuisse, neque inter caduca & vacantia distinxit; cum vero Viri doctissimi, quod ego vbique statuo, de posterioribus numquam negare possint, TACITI ex auctoritate, meam concedant thesin necesse est, cum vacantium nomine omnia ad aerarium delata bona comprehenderit, quamobrem & delati iuris accrescendi meminisse potuit, quod in vacantibus seu *ακληρονομαις* locum habere nequit. Si porro communis placet opinio, aerarium ad hereditatis possessionem ferre numquam peruenire potuisset, quum eodem modo, ac ante Legem Papiam, fuisset remotum, agnatorum & gentilium longa serie, bonorumque possessorum turba praelata. Frustra opponis argumentum: gentilitatem iam fuisse pene deletam, et vix agnationem extirpasse; contrarium monstrauit rationibus ex scriptoribus haustis V. C. CHLADENIVS †), Augustum scilicet gentilitatem non oppressisse, sed magis extulisse. At TACITVM mihi

C 3

pla-

*) Lib. III. *Annal.* cap. 28.†) De gentilitate roman. Cap. 13.
§. 8.

plane contrarium esse, putas, si Tiberium, Aemilium Lepidum ad hereditatem Aemiliae Musae, tamquam gentilem admisisse, refert ^{v)}. Sed plane non obstat, modo acutissimi auctoris mentem rite percipiamus. Aemiliae Musae, absque testamento & non relictis legitimis heredibus defunctae, bona, fiscus tamquam ἀλληρονομία petere studet; Aemilius vero Lepidus, se defunctae gentilem, ob nominis similitudinem, adeoque heredem legitimum esse, asserit. Tiberius, ex singulari benevolentia, late perscrutare Centumuiros non iubet, an vera, an falsa sint argumenta Aemilii, illum, excluso fisco, ad hereditatem admittit, eoque magnificam in publicum largitionem auget, haud minus grata liberalitate. Tantum igitur abest, ut haec species nobis obsistat, ut potius ad locum nostrum plane non pertineat, quod cum causae hereditatis intestatae, tum liberalitatis Imperatoriae, specimen sit. Neque tandem ad VLP IANVM ^{x)} feliciori successu prouocari potest, eum scilicet de integra hereditate plane filere, et tantum partium caducarum meminisse; cum non dispositiue sed exemplificatiue, ceu loqui amant, scripserit, verborum nexus abunde nos docere queat.

§. XII.

Destitutum itaque testamento, hereditateque ad aerarium delata, num tabulae vires monstrauerint, et ex eorum tenore aliquid praestitutum fuerit, videamus. Et perpensis omnibus, magis videtur tales non habuisse, adeoque in testamento disposita, ab aerario non esse adimpleta. Aerarium enim bona delata tamquam ἀδικοποτα, deficiente eo, qui defuncto placuerat, occupabat, cumque adeo beneficio testatoris nihil deberet, ad onera suscipienda obligatum non erat. Et Augustus sane, contrarium admit- tendo, aerarii conditionem non meliorem, sed deteriorem red- di-

^{v)} Lib. II. *Annal.* c. 48.

^{x)} *Fragment. Tit. XI/II.*

didisset. Aes tamen alienum hereditati inhaerens, cuiusue causa heres ipsam forte repudiauerat, a fisco soluendum fuisse, ideo mihi probabile, quoniam bona non nisi deducto aere alieno, intelligebant romani iuris auctores; quare id nihil singulare si in Digestis *a)* expresse reperitur. Si vero hereditatem, facta cognitione, Praefectus aerarii lucrosam haud inueniebat, cedebat illam creditoribus, ut sibi satisfacerent.

§. XIII.

TIBERII tempora aliam mutationem ostendunt. Beneficio enim abstinendi heredibus suis a Praetore donato, *b)* hos quoque parentis testamentum voluntate destitutum efficere potuisse, ad animaduertendum non difficile. Eiusdem ergo conditionis erant, ac legitimi reliqui, eiusue fraudis conscii esse poterant, qua solebant illi ommissa testamenti causa hereditatem adire. Eodem tamen edicto illos, ut priores, coercere Praetor, in quo paululum immorari licebit, cum in eo, vires testamento destituto tributas, reperiam *c)*. Si scilicet iustam omittendi rationem causa cogni-

a) L. ii. D. de iur. fisci.

b) Eorum igitur opinionem, qui, his temporibus, abstinendi beneficium certo competuisse suis heredibus, autumant, mihi placere, intelligis. Rationem quaerimus in l. 71. §. 4. D. de acquir. vel omittend. hered. quae VLPPIANVM auctorem agnoscit, MASSURI SABINI sententiam probantem; ex qua suus heres, qui ab hereditate abstinuerat, & postea aliquid amouerat, creditoribus furti tenetur. Nisi ergo iam temporibus SABINI, qui Tiberium regnantem vidit L. 2. §. f. D. de O I. beneficium

suis competisset, ICTUS profecto de casu quo suus eo usus erat, respondere non potuisset. Haec igitur opinio adsumenda, donec melior proferatur.

c) Annum, auctorem huius edicti probare nequeo, cum ne legitima quidem eius verba, ab archylectis Digestorum seruata sint, sed ICTORUM duntaxat interpretationes excerptae. Nam si quoque his, in quo versamur temporibus, aut paulo antecedentibus, eam ob causam adscribere vellem, quoniam 1) illo sui quoque teneantur L. 1. §. 7. D. h. r. qui tamen, absque beneficio abstinendi, quod

cognita Praetor non inueniebat, legatariis & fideicommissis honoratis, actionem contra heredem omittentem dabat, ad praestanda, quae ipsis in testamento, per omissionem aditionem destituto, erant relicta, & ad libertates implendas illum obligabat *d*). Iam si quis legitimorum testamenti causam omiserat, certe testamentum erat destitutum; licet enim interdum legitimus qua talis, hereditatem possideret, eam tamen ex testamento non adierat, adeoque illud destituerat. Neque omittentem, adire hereditatem ex testamento & imposita praestare, cogebat, illumque adeo nolentem heredem efficiebat, sed ei, tamquam a defuncto scripto heredi, imponebat necessitatem, repudiata licet hereditate, ea quae testator disposuerat implere. Quo salutari edicto, auctor calliditati legitimorum, qui, ne minima praestarent, testamenti causa omissa, ab intestato hereditatis aditionem celebrabant, occurrere studebat, adeoque friuole id perficientes in edictum incidebant; verum iusta ex ratione voluntatem adhuc destituere, & tamquam legitimi, hereditatem possidere poterant *dd*). Me vero non precario vires destituto testamento tribuisse inde apparere arbitror, quod legata, fideicommissa atque reliqua exacte, uti testator scripserat, praestanda erant *f*). Porro, is qui causam testamenti praetermiserat, (quod idem significare ac hereditatem repudiare, testatur *VLP IANVS*, *g*)) a legatariis eum in finem a Praetore data actione conueniendus erat. Quenam autem illa erat? non alia

quod his temporibus existisse, not. praeced. coniectura adsecutus, in illud incidere non potuerint; 2) fideicommissa, quae sub Augusto demum vim acceperint, antea pudore heredis contenta, praesentur, uti legata: ideo tamen haec coniectura falsa esse posset, quod Icti tenorem edicti, ad istos extendissent casus. Quodsi ergo ἀναγκαστικὸν commiserim,

eum, in tanta rerum obscuritate B. L. ignoscat, rogo.

d) L. penult. D. si quis omiff. caus. resp. L. 12. pr. D. eod.

dd) L. 5. D. h. t. Alias etiam causae cognitio necessaria non fuisset.

e) L. 1. §. 2. L. 17. D. eod.

f) L. 6. §. 10. L. 12. L. 28. §. 1. L. penult. D. h. t.

g) L. 1. §. 6. D. eod.

alia nisi legatorum ex testamento ^{b)}. Iam si huius tabulae, cum destitutum esset, nullam omnino vim habuissent, illud etiam quod exinde probandum erat, deduci non potuisset, legata, fideicommissa atque libertates intelligo; cum vero contrarium deprehendamus, vim habuisse affirmandum est. Tandem legitimus ille heres testamentarius non erat, cum causam testamenti siue additionem ex illo praetermisisset, & nihilominus ac si ex testamento adiisset, illum obligatum videmus.

§. XIV.

Papiae Poppaeae legis dispositionem quoad bona caduca seruatam esse nullam dubio, eam tamen sub sine regiminis Tiberii curationem obseruatam esse, ex variis concludere licet. Initio enim, narrantibus scriptoribus, lenitatem animumque generosum adfectabat ^{d)}, procedente vero tempore, animo fordida auaritia conspurcato, imo, teste SVETONIO ^{k)}, ad rapinas conuerso, sibi magis quam vtilitati publicae prospiciens, fisci aerarique discrimine neglecto, huic debitas hereditates, in illum redigebat, aut adeundo sibi acquirebat, cum DIONE CASSIO ^{l)} teste

^{b)} L. 6. §. 3. D. h. t. L. I. §. ult. eod.

^{d)} Probat hoc TACITVS diuersis locis, sic ANNAL. Lib. IV. cap. 6. ait. *Et ne prouinciae nouis oneribus turbarentur, utque vetera sine auaritia aut crudelitate magistratum tollerent, prouidebar. Corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.* Laudat idem scriptor diligentissimus moderationem obseruatam, ut nunquam hereditatem adiret, nisi cum amicitia meruisset, ignoros enim, et aliis infensos, eoque principem nuncupantes

procul arcebat Annal. Lib. II. c. 48. quorsum & referri possunt beneuolentiae specimina, Aemilio Lepido (§. 12.) & M. Seruilio data. TACIT. cit. loc.

^{k)} in Tiber cap. 49. TACITVS autem Epocham quasi determinauit, ubi auaritia Tiberii primordia coepit; ait enim Lib. IV. Annal. cap. 20. *Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit; scilicet in condemnatione Sillii Sosiaeque foeminae, eamque saepius comprobauit exemplis v. c. Lib. VI. c. 19.*

^{l)} Lib. LVIII.

ste, omnes adiret hereditates, imo ciues, vt illum inſtituerent, cogeret *m*), quod et omnes feciſſe, perhibet laudatus auctor *n*). Exinde deduci poſſe arbitror, priuatorum teſtamenta adeo ſecura non fuiſſe. CALIGVLA, vtilitatem populi certe non quaerebat, optans magis vt vnam haberet ceruicem *o*), ſed ſuae cupiditati ſatiſfacere tantum cogitabat. Prodigus in profundenda pecunia, in quaerenda fordidiffimus *p*), egenus atque egens, ad rapinas conuertit animum vario et exquisitiſſimo calumniarum genere *q*). Eum in finem multos occidit, accuſatos de variis criminibus: vere autem id fecit, vt facultates conſequeretur *r*); cum publicum eſſent diuitiae crimen. Neque arbitrari licet excepta fuiſſe ciuium teſtamenta; luculenta contrarium probant exempla, a ſcriptoribus adducta. Quare, vt vnum alterumue producam, quare negaſſet, eos iure ciuitatem romanam uſurpare, quorum maiores eam ſibi poſterisque impetraſſent, niſi filii eſſent; ac eam ob cauſam, vt nec mortis cauſa capere nec diſponere poſſent *s*)? Omnia in ſuam rapuit poteſtatem; hinc Primpilariū teſtamenta, in quibus heres non inſtitutus, irrita dixit, quo metu iniecto cum & ab ignotis inter familiares, et a parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, deriſores vocabat, quod poſt nuncupationem viuere perfeuerarent, et multis venenatas maſteas mittebat *t*). Laudant CLAVDIVM admirabilem in facienda pecunia, & ab omni fordida pecuniae exactione abſtinentem; at Agrippinam, alteram thori Imperialis ſociam, imenſam auri habuiſſe cupidinem, eamque, quaſi ſubſidio regnum pararetur, excuſſaſſe, refert TACITVS *tt*); priuatorum igitur diuitiis inhiauit, ciuesque occidi iuſſit non aliam ob rationem, quam vt bona eorum

cri-

m) SVETON. in Tiber. l. c.

n) cit. loc.

o) SVETON. in vit. cap. 30. XIPIHILIN. Epit. Dion p. 134.

p) XIPIHILIN. p. 130.

q) SVETON. in vit. cap. 38.

r) XIPIHILIN. pag. 133. & pag. 133.

s) SVETON. in vit. pag. 38.

t) IDEM *ibid*.

tt) *Annal.* Lib. XII. c. 7.

crimine quodam efficto raperet & testamenta forte iam condita irrita constitueret ^{u)}. Sub NERONE summum crimen diuitiae, sic, vt alia exempla taceam, Pallantem libertinum quod immensam pecuniam longa senecta detineret, veneno interfecisse refert TACITVS ^{x)}. Quo magis vero fiscum augeter, delatores ab Augusto ad bona nuncianda excitatos, genus hominum, vt TACITVS ^{xx)} loquitur, publico exitio repertum, & poenis quidem numquam satis coercitum, lautis praemiis ornauit, quarta parte hereditatis delatae illis data, vnde forsitan quadruplatorum nomen acceperunt.

VITELLIVS explendae libidinis causa, diuinis humanisque rebus contemptis ^{y)} vndique rapuit, atque sumptibus immensis sua ciuiumque bona exhaustit; neque hereditatibus pepercit, sed ciues coegit, vt illum instituunt, & nisi coheres illi placeret, eum e medio sustulit, solidamque hereditatem abstulit ^{z)}. Malam foracitate fisci thesaurique publici causam reddebat. Hanc igitur meliorem reddere VESPASIANVS successor cogitabat, eumque in finem per Mutianum vndique pecunias in aerarium conferebat, sibi que parcissimus omnia vsui publico impendebat ^{a)}. Laude ceteroquin dignum institutum, modo pecuniam iuste exquisiuisset: huius enim cupiditatem ipsi merito culpandam, consuit TRANQVILLVS ^{a)}. Nam tributa atque vectigalia non solum auxit, sed & dulci caduco fiscum replere non omisit, quod ex Ceryli liberti exemplo intelligi licet ^{b)}. Eum pecuniae quidem causa neminem interfecisse, permultos tamen quod pecuniam darent seruasse, officiaque, magistratus, sacerdotia, imo de-

D 2

creta

^{u)} TACIT. *Annal.* Lib. II. c. 22. exempla praebent Lollia & Consul. Statilius Taurus.

^{x)} TACIT. *Annal.* Lib. XIV. Fin.

^{xx)} *Annal.* Lib. IV. c. 30.

^{y)} XIPHILIN. *in Vitell.* init.

^{z)} SVETON. *in Vitell.* cap. 14.

^{a)} XIPHILIN. *Epirom. Dion. in Vespasian.* p. 210. 219. SVETON. *in vit.* c. 16.

^{b)} SVETON. *in vit.* c. 23. ibique CASAUBON.

creta Caenis amicae auxilio vendidisse, hūc mediis opes comparasse, ex DIONE refert XIPHILINVS ^e). Contrariam TITVS, deliciae generis humani, suspecto rapacitatis animo in virtutes conuerso, ingressus est viam: Quantopere ciuium, salutem aestimauerit, delatorum coercitione comprobatur; merito enim SVETONIVS delatores atque mandatores ex licentia veteri, s. vt olim debachantes, inter temporum aduersa retulit. ^d) Illos ex vrbe expulisse, notat XIPHILINVS ^e), sed accuratori penicillo poenas delineauit TRANQVILLVS ^f). *Hos, (delatores) ait, affidue in foro flagellis ac fustibus caesos ac nouissime traductos per amphitatri harenam partim subiici in seruos, ac venire, imperauit: partim in asperrimas insularum auahi. Vique etiam, perguit, similia quandoque ausuros perpetuo coërceret, vetuit inter caetera de eadem re pluribus legibus agi; quaeritue de cuiusquam defunctorum statu, ultra certos annos.* DOMITIANVS haec, initio imperii, vbi abstinentiae et liberalitatis edidit specimina, seruasse videtur: legimus enim exempla vbi testamenta irrita dixit, quia conditio heredi adposita, expleto nimis erat difficilis; reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent, liberauit; atque hereditates sibi relictas ab iis quibus liberi erant, non recepit; fiscales calumnias magna calumniantium poena repressit: sicque dignam vocem: *Princeps qui delatores non castigat, irritat*, quam dixisse ferunt, impleuit ^g). Sed postea, vbi rapax inopia, metuque saeuus erat, mox omnia conuertit ^h). Bona viuorum et mortuorum vsquequaque, quolibet et acusatore & crimine, corripiebantur; satis erat obiici quaecunque factum dictumque aduersum maiestatem principis. Confiscabantur alienissimae hereditates,

^e) cit. loc. p. 221.

^d) in vit. c. 8.

^e) in vit. p. 225.

^f) in Tito c. 8.

^g) SVETON in Domit. c. 9. ibique
CASAUBON.

^h) TRANQVILL in vit. c. 3.

rates, vel existente vno qui diceret; audisse se ex defuncto, cum viueret, heredem sibi Caesarem esse. ⁱ⁾

Sed finem impono narrationi iniustorum conaminum medioremque auidissimorum hominum. Facile exinde ad argumentum nostrum concludere licebit, Papiam scilicet legem curate esse obseruatam, quo magis caducae hereditates aerarium auferent. Ad laetiolem beatioremque reip. statum me conuerto, qualis, monente SVETONIO ^{k)} euenit abstinentia & moderatione insequentium principum.

§. XV.

COCCEIVS NERVA ab omnibus ideo celebratur, quod summa moderatione, abstinentia, probitate & iustitia, breue licet tempus, regnauerit. Non admittit instituti ratio elogia, quibus scriptores ipsum exornarunt, recensere, otium heic mihi fecit AHASVERVS ^{l)}; moneo duntaxat eum diuitiis ciuium non inhiasse, firmaeque potius testamta reddere, quam in fisci gratiam ea rescindere, voluisse. Probant haec instituta sapienti consilio facta, quibus non solum delatores, turpissimum hominum genus, bonorum Principum exemplo cohibuit, sed & hereditatis vicissimam restrinxit, praetoremque fiscalem instituit ^{m)}. Vt enim imperatores auari delatores praemiis excitarunt, ita bonorum Principum cura, illos poenis comprimere, fuit, quod & probe notarunt scriptores. TRAIANVS patris exemplum in salutem ciuium sequitur: tanto maiori seueritate fiscum quam aerarium cohibens, quanto plus sibi licere de suo, quam de publico, credit; fraudes non solum delatorum coercet, sed & ciuium testamta secura reddit ⁿ⁾. Tantum abest, vt testamta in quibus

D 3

omif

ⁱ⁾ SVETON. in *Domitian.* c. 12.

^{l)} Cf. AHASVER. disp. 2.

^{k)} In fine *Domitian.*

^{l)} De M. Cocceio Nerua disp. 1.

^{m)} PLIN. *panegy.* c. 43.

omissus rescindat, ut ea potius rati habeat, eaque, ubi in legitimum fraudem institutus, non agnoscat. Sed propius ad testamenti destituti conditionem accedamus: equidem singularia hac de re constituta non inveni, remore tamen partim de delatoribus relata, partim beneficium se ipsos deferentibus concessum, huc pertinere arbitror ⁿ). Hoc enim in destituto testamento locum habere poterat: cum, quid obsistat, quo minus institutus, qui, sibi delatam hereditatem, capere non poterat, caducae instar eam fisco deferre, praemiumque capere potuerit, non perspiciam? Licet, hoc in ista specie, ubi per superuenientem mutationem incapax factus, procedere tantum potuisse, non diffitear ^o). Sic restitutam videmus pristinam aequitatem quam HADRIANVS non solum non exstinxit, sed in publicam utilitatem augere studuit, dum aerario publico bona damnatorum antea in fiscum priuatum redacta inferri iussit ^p). ANTONINVM tandem PIVM vbique clementiam imperialem monstrasse, scimus; eum vero, referente CAPITOLINO, quadruplatores siue delatores exstinxisse, ^q) maiori laude reddit dignum, quo facta non solum odium erga illos, sed etiam fauorem erga ciues fisciue causae negligentiam monstrauit. Haec magis adhuc ex rescripto, cuius CALISTRATVS ^{qq}) meminit, & infra explicando, pater, quod meam de L. Papiae dispositione opinionem, confirmat.

§. XVI.

Quam varias mutationes caduca & vacantia bona & priuatorum testamenta, fisciue conditio, iam habuerint, ex haecenus enarratis perspectu non difficile est. Hoc vero monendum

vi-

ⁿ) L. 13. 16. D. de iur. fise.

^o) Cit. L. 13. D. de iur. fise. Cfr. I. A. WACHII Traianum p. 44. 53. 54.
^p) SPARTIAN. in Hadrian. cap. 7.

Resnat. BOTTERAV Hadrian. Legislator. ad A. V. C. 873. n. 5. 6. 9.

^q) In ANTONIN. Pio c. 7. 8.

^{qq}) L. 1. §. 2. D. de iur. fise. vid. §. 25.

videtur, saepissime in libris nostris nomina bonorum confundi, & sub caducorum, erepticia, vacantia, ipsaque caduca, venire, quum omnia fisco illata sint ¹⁾. Quod ad vires destituti testamenti atinet, aliquas habuisse bonorum Principum gratia facile mihi persuaderem: at quando, & a quo eas acceperit, accurate non liquet. IULIANVS qui sub HADRIANO vixit aperte scripsit: *quotiens ex lege Iulia bona vacantia ad fiscum pertinent, & legata & fideicommissa praestantur, quae praestare cogeret heres a quo relicta sunt* ²⁾. Atqui vacantia bona sunt ea, quae nec ex testamento, nec ex alia causa heredem habent, qualia deserto elogio fieri queunt, & tamen a fisco praestari debent, quae heredi iniuncta sunt: quae vero alia esse possunt, nisi quae heredi instituto deficiente erant imposita? Sed frustra in excitato passu praesidium quaerunt illi, qui aerarium ab AVGVSTO ad praestanda in testamento scripta obligatum putant, verba enim: ex lege Iulia, significant tantum casum, vbi praestanda sunt, & rationem quare ad fiscum bona pertinent. Eo autem insigne nostrum argumentum cepit incrementum, primo, vt heres legitimus, qui testamento causam friuole siue pretio accepto omiserat, ex testamento, facto suo destituto, omnia praestare ex edicto esset obligatus (§. XIII.). Deinde vt ex allegato rescripto D. PII (§. XV.) legitimi saltem in successione in bona vacantia per destitutum testamentum facta, fisco praelati sint; de quo infra pluribus. Eum vero, qui ex TRAIANI beneficio partem delatae hereditatis acceperat, iniuncta praestare debuisse, vix puto, cum heres non esset, sed ex liberalitate principis illam accepisset partem.

§. XVII.

¹⁾ Eum in finem vide CAIVM L. 9. *lection. iur. L. I. c. 20.* & BALDVIN. *D. ad Scr. Silau. PAVLV M L. 2. D. si de leg. Pap. p. 103; edit. Hal.*
quis test. prob. cf. Abr. WIELING ²⁾ L. 96. §. 1. D. de legat. 1.

§. XVII.

Vltra progrediendo occurrit MARCVS ANTONINVS Imperator φιλοσοφωτατος, vt veteres illum nominarunt, 1) principum optimus, ita vt nec ipsa adulatio talem confingere possit u). Stoeae maxime deditus, x) humanitatem amans, libertatemque summum esse bonum existimans, in gratiam eius aliquid constituit, y) quod, nisi cum iuris rigore conuenit, amice tamen cum clementia, qua omnes fere superauit, conspirat. Dignam scilicet constitutionem, (seu potius rescriptum), intelligo, quam TRIBONIANVS in elementis iuris ciuilibus IVSTINIANI nomine ornatis, sub titulo: de additione bonorum libertatum seruandarum causa seruauit; cuique nostrum argumentum mutationes debet. Dirum olim erat fatum, quod, non adita ab instituto, neglecta a fisco ob graue aes alienum hereditate, creditores, ipsis bonorum cessione facta, sibi prospicientes, illis, quibus in testamento libertas data, magnam forte patrimonii partem constituentibus, libertatem denegarent, eosue, defuncti voluntate famaue non attenda, cum reliquis bonis sub hasta venderent. Luculentum ergo clementiae suae Diuus Marcus edidit hoc rescripto specimen, quo & modum seruandi libertates in testamento datas proposuit, & defunctorum famaue consulere voluit. Integram explicare constitutionem huius loci non est, aliique, praesertim WESTENBERGIUS, z) & SCHAVMBVrgivs a) id meliori perfecerunt modo, quam ego vel vnquam praestarem. Ea tantum, quae ad rem meam spectare videntur, sunt delibanda. Rescripti occasionem

1) L. 67. §. f. D. de leg. 2. L. ult. C. de repud. L. 2. C. de his quibus vt indign. Nouell. XXII. c. 19.

u) CAPITOLIN. in MARC. cap. II. XIPHILIN in vit. D. Marc.

x) CAPITOLIN in vit. c. 2. IVLIAN. in Caesarib.

y) L. 26. D. de manumiss. testam. L. 30. §. 3. D. de fidecom. libertat. Emund. MERILL. Obseru. Lib. 2. c. 15.

z) In Diuo Marco Dissert. XXVIII.

a) Ad constitution. Imperator. antiq. Manip. IV. obseru. 4.

tionem testamentum destitutum praeuisse, verba Imperatoris declarant, cum Virginii Valentis bona in ea causa, ut venire debeant, ^{b)} esse dixerit. Imo re paulo curatius perpensa, quous fere pignore contendere vellem, initio non in alio casu rescriptum sibi locum vindicasse: in eo enim explicando, non, ut plerumque Interpretes facere solent, ad recentiorum Ictorum fragmenta atque rescripta Imperatorum respiciendum, sed rescripti verba exacte tenenda sunt. His vero perspectis, ad modo determinatam speciem omnia redire inueniemus: simul vero, initio, non nisi manumissum in testamento, additionem bonorum petere potuisse, compertum habebimus ^{c)}. Bonorum vero, seruandarum libertatum ergo, facta additione, ipsum elogium destitutum permanebat: neglecta enim ab instituto aditione, destitutum erat testamentum, & is, cui bona addicebantur a praetore, heres non fiebat, quamuis libertates, ac si hereditas adita esset, praestare deberet. Nemo enim nisi vel ex testamento vel ab intestato heres fieri potest: ^{d)} neutrum deprehendo; bonorum possessor, (ita enim breuitatis causa illum nominare placet) testamentarius

rius

^{b)} Hoc ex edito perpetuo explicare possumus, ex quo CALLISTRATUS L. I. §. I. D. de Jur. ffr. contra LABEONEM refert, quod bona venire dicantur, si filio nil acquiratur. Cf. etiam Tit. D'g. de vel. auct. iudic. possid.

^{c)} Rescriptum in testamento destitutum, locum habere probat & PAPINIAN. L. 50. D. de manum. testam. Ceterum vides, me THEOPHILUM, eosue ex recentioribus, quibus ille placuit, puta CUIAC. ad §. 1. J. n. 8. HEINECCIUM in Antiq. rom. h. t. §. 2. & ad Arn. VINNII Commentar. ad Inst.

h. t. §. I. G. O. RETZIVM in not. ad THEOPHIL. Paraphraf. h. t. & in Excurs. XVI. ad EVND. FR. BROEYUM. & alios, sequi, Populum Rufum, ad quem rescriptum directum, manumissum in testamento fuisse, adfirmantes. Contrariam sententiam defendunt CUIAC. in PAPIN. ad Lib. 50. D. de man. test. Ian. a COSTA Comm. ad Inst. h. t. §. I. Arn. VINNIVS, Eo. OTTO ad eand. WESTENB. D. Marc. cit. loc.

^{d)} L. 1. 2. 3. D. de hereditat. petition. §. 2. J. de SCR. Orphitian. L. 1. §. 8. D. ad SCR. Terryllian.

E

rurus heres non est, quia non institutus, ab intestato non est, cum ad legitimos defuncti successores non referatur, etiam si certum sit, quod illi ad successionem ante fiscum vocati sint e). Denique Praetor, licet additionem bonorum absoluat, heredem tamen neminem facere potest, f) quare duntaxat in locum heredis surrogatum bonorumque possessori similem esse, eum, cui bona erant addicta, veteres adfirmabant g).

§. XVIII.

Licet vero haec ita se habeant, ex testamento, vique obligari, adfirmari, in eoque vis destituti elogii quaeri potest. Fac enim, eum dispositionem defuncti negligere potuisse, pro luitu manumissi libertatem accepissent. At inuenimus contrarium: *Et ii quidem, ait Imperator, quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt, ac si hereditas adita esset: quod THEOPHILVS adposite explicauit, si inquit: τούτέστιν ὄρκιοι γίνονται ἀπελεύθεροι, id est orcini fiunt liberi. Et autem, pergit MARCVS, quos heres manumittere rogatus est a te, (cui scilicet addicta sunt bona) libertatem consequentur; quibus fideicommissarias intelligit libertates, vt & THEOPHILVS haec verba descripsit, οὗς δὲ φιδεικομμισσαρια ἐλευθερία καταλεφθῆ, τὸ φακτον ἐπιθήσει της ἐλευθερίας ἐκείνας, ὃ προσκυρώδη τὰ πράγματα, καὶ αὐτῶ δὴλονετι γενήσονται ἀπελεύθεροι: quae vertit REITZIVS quibus autem fideicommissaria libertas relicta est, iis factum manumissionis imponit is, cui bona addicta sunt, Et ipsius scilicet liberi fient. Libertatum ergo intuitu defuncti voluntas exacte seruanda, & in eis vires, licet herede de-*

e) Ex infra dicendis id clarius patebit, intelligo scilicet disceptationem an nostris iam temporibus, bona caduca antequam fisco delata ad successores legitimos peruenerint. Ceterum, si & largiri velim, legitimos ea cepisse, legitimus

tamen heres is, cui bona addicta erant, non erat, cum, si creditoribus veniant, ab omnibus neglecta sint, necesse est.

f) L. 1. D. de Bonor. Possess.

g) L. 3. §. 4. D. de fideicom. libertat.

stituta sit, monstrat. Directe in testamento manumissi Orcini fiunt liberti, siue *χαρτολαβοι*, ^{b)} tales autem sunt, qui nullum videntem, adeoque nec bonorum possessorem, patronum agnoscunt, quod neglecta defuncti voluntate esse non possent. Sic & in fideicommissariis; is, cui bona addicta sunt, factum manumissionis, ex THEOPHILI verbis, illis imponit, non aliam ob causam, ac quoniam testator, illorum libertatem fidei heredis commendauerat; sed hoc deficiente, nihilominus ac si adita hereditas, praestantur ab eo qui heres non est. Porro condiciones sub quibus manumissi, exspectandae, in dandoque consistentes, a libertis oneratis illi, cui bona addicta, praestandae erant ^{d)}. His ex causis non potui non statuere, Diuum MARCVM vim testamento tribuisse destituto, cum libertates ita ex testamento praestare iufferit, ac si non fuisset destitutum.

§. XIX.

Sed repellenda est leuis dubitatio, ex qua videri posset, hanc obligationem libertates praestandi, non tam ex testamento, quam ex ipsa Constitutione, descendere, meque adeo frustra testamenti vim quaesivisse. At vero ubi testamentum non aderat, destitutum, beneficium locum sibi non vindicabat, ideoque nec in legitima hereditate initio, vtilitatem habebat: rescribit MARCVS: *Nemine successore ab intestato existente* — & VLPIANVS: *quam diu incertum sit utrum existat successor cessabit constitutio*, ^{k)} & IUSTINIANVS: *Inprimis hoc rescriptum toties locum habet, quotiens*

E 2

tiens

^{b)} Ita nominavit orcinos THEOPHILVS ad §. 2. *J. de sing. reb. per fideicom.* Glossae Basilicor. & PLUTARCHVS teste CUIACIO ad VLPIAN. *fragment. Tit. II. §. 8.* eodem vtuntur verbo, cuius ratio est quod Charon

quasi patronus sit. Vid. Iac. CUIAC. *Observar.* Lib. III. c. 23.

ⁱ⁾ L. 4. §. 6. D. de fideicommissar. libertat.

^{k)} L. 4. §. 1. D. de fideicommiss. libert.

tiens testamento libertates datae sunt ¹⁾. Omnia igitur eo redire videmus, ut in testamento libertates datae sint. Equidem largior rescriptum fuisse medium, quo libertates, olim non competentes, servatae sint, ei vero soli hanc vim tribuere, abs me impetrare nequeo, & magis additioni adscriberem, cum ea servandarum libertatum ergo fiat. Sed ne huic quidem; cum alioquin adeo religiose ultima defuncti voluntas servanda non esset, libertique eadem non habuissent emolumenta, ac si ab instituto hereditas adita; cuius tamen contrarium perspicimus: nam, ceu saepius monui, libertates ac si adita hereditas dandae erant, iam si fuisset adita, institutus eas, quoniam in testamenti tabulis datae, praestitisset, atqui ille cui bona addicuntur, libertatum ratione, in heredis surrogatur locum, licet talis non fiat, eamque habet obligationem, quam is habuisset, ex alia quoque ratione, ac quoniam in testamento scriptae, eas haud adimplet. Alii forsitan quaedam rescripti verba, quibus Imperator bonorum possessori, sibi emolumenta patroni et in Charoneis stipulari posse, concedit opinioni meae obfistere, putant. Ait scilicet: *Ita ut si non alia conditione velis tibi bona addici, quam ut ii etiam qui directam libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic voluntati tuae: si ii quorum de statu agitur consentiant, auctoritatem nostram accommodamus.* Cum enim tunc defuncti voluntas insuper habeatur, testamentum nullum habere vim, concludi posset. Sed adeo non obest sententiae, hoc enim ab Augusto in subsidium modo est concessum. Et demus: satis iam est, et vis testamenti nominari meretur, ut illi duntaxat, quos testator libertate dignos censuit, libertatem acquirant. Pactum enim ipsas nullo modo adicit libertates, sed tantum modum quo dantur, adeo ut directe manumissi fiant liberti bonorum possessoris, quod MARCVS verbis: *Tui liberti fiant*, exprimere voluit. Praecipuum tandem est,

¹⁾ §. 3. 7. de addict. lib.

est, si consentiant quorum de statu agitur: quodsi ergo consensum denegauerint, Diuum MARCVM eos in seruitute relinquere voluisse, vt postea IVSTINIANVS fecit, vix puto, sed potius bonorum possessorem ad praestandas libertates, prout scriptae, coëgisse, censeo. Ipsa enim Constitutio in fauorem libertatis: & secundario ad seruandam testatoris famam ^{m)}, data est, quodsi vero omni in casu voluntati bonor. possessoris relinquere voluisset, an & quomodo praestare vellet libertates, certe finem non esset consecutus, nec scribere potuisset, vt liberti sint ac si hereditas adita esset. Nec igitur subscribo sententiae SCHAVMBVRGII ⁿ⁾, qui, hoc pactum extraneo permissum fuisse, imo tali ipso iure patroni emolumenta competiisse, autumat: contraria plane sunt legis verba. Tandem praestationem libertatum stipulationi cuidam cum creditoribus initae, tribuere qui posset, & forte eam sententiam refutare cogitauit VINNIVS ^{o)}, qua tamen vix eget.

§. XX.

Certum quidem est, libertatum seruandarum causa additione bonorum facta, testamentum destitutum vim aliquam habuisse: qualis autem legatorum ab herede relictorum, aequae ac fideicommissorum fuerit conditio, & an bonorum possessor ad ea sit obligatus, merito quaeritur. Et magis videtur nulla esse praestita. Ipsa constitutionis verba nihil decidunt, ideoque rem vt olim mansisse, verosimile est: nam licet interdum a fisco, si bona ex L. Iulia ad illum peruenerant, adimplenda essent, (§. XV.) ab eo tamen, ad hunc cui bona addicta, concludere, salebrosum foret. Porro locum sibi vindicabat constitutio si adeo obaerata hereditas, vt, ab omnibus s'preta, creditoribus veniret (§. XVII.); sum-

E 3

mum

m) §. 2. I. b. r.

o) ad §. 1. I. de addict. bonor. verb.

n) ad constit. Imp. antiq. Man. IV. ac si hered. adita.

obs. 4.

num igitur aderat aes alienum, quod cum prius deducendum, ad legata praestanda nihil reliquum fuisse, ad animaduertendum non difficile. Tandem subuenit VLPIANVS *p*), qui quaestionem mouens, an libertates a legatariis relictæ additione facta sint praestandae? competere libertates respondet, *licet legata non soluantur*: ita quidem intelligo verba: *Numquid cesset Constitutio, quod legatis non debitis nec libertates possunt deberi? Magisque est ut idem fauor sit.*

§. XXI.

Supereffisci causa, quae sub bono Principe mala esse solet *q*), et meliorem sub MARCO non deprehendimus. Ipsi fisco reliquit bona agnoscere et libertates ex testamento praestare. *Et ne huius rescriptionis nostrae emolumentum, alia ratione irritum fiat, si fiscus bona agnoscere voluerit; et ii qui rebus nostris attendunt, sciant, commodo pecuniario praeserendum esse libertatis causam: et ita bona cogenda ut libertas iis salua sit, qui eam adipisci potuerant, ac si hereditates ex testamento adita esset.* Varie solent Interpretes hac de re mentem suam exponere, verum si confiteri licet quod sentiam, ex verbis rescripti deduci tantum potest, fiscum bona agnoscere potuisse, vti libertus; cum tunc ad tot praestationes non obligatus esset, ac si ex lege Iulia tamquam caduca accepisset (§ XV.), solas enim, creditoribus satisfactis, libertates dabat. Quo casu eandem vim testamenti destituti reperimus, nam manumissis in testamento competeat libertas ac si hereditas adita. Quod ad reliqua fisci iura praeter additionem attinet, a MARCO noua inducta non inuenio singularia, & a scriptoribus notata, cum ab antiqui iuris mutatione abstineret *r*). Eum, more egregiorum Principum, calumniis quadruplatorum intercessisse, delatores

p) L. 4. §. 16. D. de fideicom. li. *herr.*

q) FLIN. in Panegyric. c. 38.

r) CAPITOLIN. in D. Marc. cap. II.

latores notasse, delationes, quibus fiscus augetur, contemfisse, eique in causis compendii numquam fauisse, narrat tantum CAPITOLINVS 1).

§. XXII.

Subsequenti aetate, ad cuius contemplationem progredior, ipsa Diui MARCI de additione libertatum seruandarum causa constitutio, ICTorum praestantissimorum huius aevi benigna interpretatione, egregie aucta est. Difficiles sane atque nodosas quaestiones VLPIANVS in libro sexagesimo ad Edictum exposuit 2): sed omnes hic percurrere, nimis longe a suscepta abest prouincia. Ne tamen plane ἀσύμβηλος discedam, pauca addam. His igitur temporibus nos debere mutationem, puto, qua vni pluribusue extraneorum additionem a magistratu petendi, facultas data est 3), hoc enim ex ipsis rescripti verbis vix adparebit: sed et in hac specie defuncti voluntas accurate erat seruanda. Porro fauor constitutionis, ad libertates, codicillis ab intestato datas, correctus est, si legitimi non adierant hereditatem 4). Fiscus vero conditio accurate determinari nequit, cum ex genio principum varia fuerit, prout illi nimirum vel ipsum adaugere voluerint, vel eius compendium non curauerint. Sallim VLPIANVS 5), facta semel additione, eum excludit, si postea bona agnoscere libertatesue dare velit; par enim eius cum extraneo causa est. Ad id melius intelligendum velim notes, bonorum possessorem interdum pactum cum creditoribus iniisse: vt parte fortis contenti sint, quod postea IUSTINIANVS meliorem in ordinem redegit 6); hoc pacto commodum percipiebat is, cui bona addicta, quod illi eripere atque fisco addicere, ICTus non

1) citat. loc. cap. 11. & 12.

2) ex quo defuntae L. 4 §. 4. D. de fideicommiss. libert.

3) L. 4. §. ult. D. de fid. lib.

4) L. 2. D. de fidec. lib. §. 3. f. de addict. bon.

5) L. 4. §. 20. D. eod.

6) L. ult. §. 2. C. fidec. libert.

non admisit. Neque id de solido cautioni, ante additionem a bonorum a possessore faciendae, contrarium et ^{a)}; nam de solido caere, ICTus hic non est, nisi de sorte et vfuris soluendis, securitatem reddere, cuiuslibet autem; creditori liberum erat, totum remittere debitum. In alia vero discedunt Prudentes, si errore praefectorum aerarii, siue dolo aliorum, siue ignorantia qualitatis bonorum, orto, factum, vt creditoribus bona cesserint; runc enim additionis reuocatione admiffa, constitutionis vsu negato, ad fiscum pertinere bona adfirmant, cui tamen, ea iterum repudiare, liberum est ^{b)}. Sed & in tali casu libertates a fisco datas esse, puto, meque omnes fere consentiunt, cum ex citato loco, praelationem fisci in additione, euincere soleant; simul vero obseruent, fiscum libertates non dedisse, si ex alia causa ad illum bona peruenerint, ^{c)} quod, quantum cum veritate constet, ex supra traditis facile colligi potest.

Pariter nostra constitutio rescriptis Imperatorum multa debet incrementa: ipsis extraneis permiserunt, vt sibi bona addicantur, curare, vt ex GORDIANI ^{d)} rescripto intelligi potest; ex quo tamen SCHAVMBVRGBIUS ^{e)} non accurate deducit, ita iam ex Diui Auctoris voluntate fuisse: etenim verba, *quod et in extraneis obseruari debet*, non ad antecedentia, vbi constitutionis meminit, pertinent, sed singulare rescripti constituunt; Pisistratus enim, ad quem directum est rescriptum, bona alicuius

a) L. 4. §. 8. D. eod.

b) L. 4. §. 1. 20. D. eod.

c) L. 50. D. de manum. testam. CVIAC. Recitat ad PAPIAN. *Resp. lib. IX.* vbi tamen sine causa L. 4. §. 17. D. de fid. lib. emendat, pro *caducis legionis*, substituens *caducariis legibus*. quamquam ad VLP. *Fragm. T. XXXIII. §. 7.* ad Codices prouocet;

quod iam reprehendere *Ian. a Costa ad §. 1. I. de addit. Ant. SCHULTING. ad citat loc. VLP. Em. MERILL. Var. ex Cuiac. L. III. c. 20.* suppeditauit ICTus exemplum eius, qui fisco praefertur, vt postea plura collegia haec praerogatiua sunt instructa.

d) L. 6. C. de test. manum.

e) loc. citat. p. 138.

ius, sibi volebat addici, quum vero extraneus esset, rem antea ad Imperatorem deferebat, qui nostri rescripti verbis respondet: Verba antecedentia nil continent, nisi quod dudum erat cogniturum, & Imper. plane nil dixisse, vix putandem est. Interdum vero Imp., non adita hereditate libertates non competere, rescripsisse inuenies *f)*, ideo tamen castra mea non relinquo velim, sed caute intelligas, cum plerumque loquantur de hereditate iacente, ubi nondum institutus declarauerat an heres esse velit, manumissi vero, libertatem exigebant.

§. XXIII.

Quoad modos, quibus testamentum destitutum fieri potuit, eosdem quos supra (§. IV. seq.) exposui, mansisse & plures excogitatas non esse, mihi verosimile est. Principes, licet Papiam legem non abrogarent, vario tamen eam mutilabant modo, adhibitis ICtorum artificijs. *g)* Tantum vero abest, vt ego antiquis Prudentibus dicam scribere velim, ob non religiose seruata mollis apud Actium triumphatoris constitutionem, vt potius eos laude dignos putem, quod belli causa inducta pacis tempore delere coeperint. Per omnia vero id demonstrare animus non est; mox tantum, VIIVSTINIANVS ius accrescendi primus reuocasse non videatur, quamquam certius reddiderit, illud enim iam vario modo contra capitalis legis rigorem inductum erat, vbi certe ex Papiæ lege locum sibi non vindicasset. Quare fragmenta ICtorum in quibus eius mentio fit aut omnia mutilata esse adfirmare, aut meam sententiam haud improbare debes.

Porro legis Papiæ dispositio in eo mutata videtur, vt cauduca hereditas non statim fisco cederet, sed antea successores legitimi admitterentur, quibus non aduentibus aut absentibus, quod iam

f) L. I. C. de Manumiss. fideicommissar.

g) Pr. L. vn. C. de caduc. tollend.

iam facile contingeret, cum gentes domusue maxime confusae, gentiliumque successio antiquitatis instar cognita esset, ^{b)} bona aerario inferri solerent. Nam supra (§. XV.) ex CALLISTRATO ^{d)} rescriptum Diui PII citatum, quod, nemine ab intestato, cuique bonorum possessio competit, existente, ad bona fiscum vocat, & subsequenter Imperatoribus seruatum esse videtur, quo obseruato recte ICtorum fragmenta & Impp. rescripta explicari possunt, qui quidem Legis Papiae mentionem faciunt, quae semper norma permansit, attamen legitimos heredes imo et bonorum possessores ^{k)} ad successorem vocant: quod iam ex ipsa L. Papiae sententia descendisse mihi numquam persuadebo. Probationem vero harum rerum mathematicorum more absolutam, neminem abs me expectaturum arbitror, siquidem huius rei rationem ex ICtorum fragmentis cum genio Principum comparatis tantum abstrahere possumus. Breuib; igitur sequentium Imperatorum, circa fiscum curas, testes beniuolentiae aut habendi cupiditatis, narrabo.

§. XXIII.

Filius ANTONINI, COMMODVS neglectis optimi patris principii, peruersos superiorum temporum mores adfectans, crimen habebat diuitias. Quare LAMPRIDIVM ^{l)} narrantem inuenimus, ipsi non solum omnia fuisse venalia, sed ob diuitias homines spoliatos atque interemptos esse, iisue quibus criminis appositio defuisset, obiectum esse quod Imperatorem heredem scribere voluissent. In alia vero discedit successor PERTINAX qui licet notante CAPITOLINO ^{m)} parcus atque lucri cupidus, adeo vt mercaturam exerceret, muneraque libenter acci-

^{b)} VLP. Fragment. T. XXVI.
^{f.} 1. Collat. LL. Mosaic. & Rom. T.
 XVI. §. 4.

^{d)} L. 1. §. 2. D. de iur. fise.

^{k)} VLP. Fragment. T. XXVI. §. 2.

^{l)} in Commod. c. §. & 14.

^{m)} in vit. Pertinac. cap. 13.

ciperet, delatores tamen victos ⁿ⁾ grauitur puniri iussit, legemque tulit, vt testamenta priora non prius irrita essent, quam aliis perfectis ^{o)}, neue ob hoc fiscus aliquando succederet. Ipseque professus est nullius se aditurum hereditatem, quae aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, vt legitimi heredes et necessarii priuarentur ^{p)}. Inde aliter fieri non poterat, quin inops esset aerarium, quod cum discriminibus atque, dedecoris vestigijs augere noller, indictis tamen a Commodus exactis, in suum statum restituebat ^{q)}. De SEPTIMIO SEVERO nil habeo quod enarrem, nisi eum aerarium auxisse publicatione bonorum eorum, qui Albinum secuti erant; ad fiscum autem vehicularium munus a priuatis traduxisse ^{r)}. Filii, at quid MARCO felicius fuisset si COMMODVM non reliquisset heredem, quid SEVERO SEPTIMIO si BASSIANVM non genuisset, merito cum CAPITOLINO ^{s)} dicere possumus; filii, inquam, atque successoris ANTONINI CARACALLAE siue BASSIANI animum auri sacra fames detorquet. Crebro dicebat, pecuniam sibi soli esse debere, praeterea nemini, vt eam militibus largiretur ^{t)}. Eo imperante aerarii & fisci ratio coniuncta, et huic inlata, quae olim illud capiebat. Testis hac de re solertissimus atque coaeuus est VLPIANVS ^{u)}. *Hodie, inquit, ex constitutione Imperatoris Antonini omnia caduca fisco vindicantur.* Huic auaritia

F 2

ⁿ⁾ quod verbum in mendo cubare non videtur, cum poenarum genus denotet. vid. BRISSON. de V. S. v. *vincire. vincitus.*

^{o)} Meminit orationis huius, ex qua postea lex condita IVSTINIAN. §. 7. l. quib. mod. testam. infirm. Eamque illustatam dederunt VV. CC. BREVNING & SCHOTT. singularibus commentationibus.

^{q)} LAMPRIDIUS in *Perrin.* c. 7.

^{g)} ID. c. 9.

^{r)} LAMPRID. in *Septim. Sever.*

c. 12. 14.

^{s)} in *Seuer.* cap. 25.

^{t)} XIPHILIN *Epitom. Dion.* p. na

352.

^{u)} *Fragm. T. XVII. §. 2.*

^{x)} L. 17. D. de *statu homin.*

ritiae debemus constitutionem, qua omnibus in orbe romano ius ciuitatis tributum ^{*)}, vt scilicet plures Decimae hereditatis (olim vicefimae) subessent, quaeque doctissimus *Ex. SPANHEMIVS*) Bassiano vindicauit. Inde tamen modum, quo testamentum destituitur, non amisimus, cum cuius nihilominus adhuc peregeri fieri posset. Sed magis ad argumentum meum spectare videtur, ea huius Imp. Constitutio, cuius *VLPIANVS* apud *PARIATOREM LL. MOSAICAR. & ROMANAR* ²⁾, meminit: ex quanimirum ad eos duntaxat successio legitima deuoluenda, qui a decima hereditatis immunes erant. Ipsa verba ita audiunt: *Sed Imperator noster in hereditatibus quae ab intestato deferuntur, eas solas personas voluit admitti, quibus decimae immunitatem ipse tribuit.* Quibus vero immunitas tributa sit, nondum inter Eruditos constat. Alii *SALMASII* opinionem, qui suos fuisse putat, cum *SPANHEMIO* sequuntur ^{a)}, reiiciunt illam alii cum *SCHVLTINGIO* ^{b)}. Sane dolendum, doctissimum *Herm. CANNEGITERVM* ^{c)} hunc locum non attigisse. Equidem certi quid hic definire non audeo, hoc tamen conicere licet, praeter suos, si et ad eos immunitatem restringere nollem, permultis istam libertatem donatam non esse, praeter agnatos enim nemo ex iure antiquo succedebat, et admissis omnibus bonorum possessoribus, nullam vim habuisset constitutio, eum profecto in finem excogitata, vt citius bona ad fiscum venirent. Quicumque tamen fuerint certum est, mutatam esse successionem legitimorum testamento destituto, adeo vt non omnes, quos antea cum *VLPIANO* fisco praeferebam, ad bona caduca sint vocati, sed ii duntaxat qui ab erogatione decimae immunes essent, sicque fisci causa melior reddita, eum faciliori modo bona capere posset. Ceterum

^{*)} in Orbe Romano Exercit II. c. 4. p. 144. edit. Hal. *SCHVLTING.* ad citat. loc. *VLPIAN.* & ad *IVL. PAVL. Recept. Sentent. IV, 6. 1.*

^{a)} loc. citat. p. 143.

^{b)} ad citat. loc. *Collat. LL. Mos.*

^{c)} in Commentar. ad fragm. collat. *LL. Mosaic. & Rom. Franeq. 1768.*

rum an diu durauerit huius constitutionis vita, utique determinari nequit, nisi coniectura adsequi possimus, temporibus sequentibus in desuetudinem abiisse, cum sequentes Principes per multa Bassiani instituta emendauerint *d*). ALEX. SEVERVS depravatam sub antecessoribus fisci causam in meliorem redegit ordinem, ita tamen ut illi magis obfuerit, quam utilitatem quaesierit. Perhibet LAMPRIDIUS *e*), eum leges de iure propuli et fisci moderatas et infinitas sanxisse, quae quales fuerint exinde colligi potest, ut non nisi adhibitis in consilium sapientissimis viris iurisque peritissimis, conditae sint, qui plerumque citrum causam fisco praetulerunt. Ipso dignum est rescriptum Antigono cuidam datum, testeraque abstinentiae, qua antecessores proximos superavit, quo *ex imperfecto testamento nec imperatorem hereditatem vindicare posse, adserit f*); quemadmodum eidem benevolentiae tribuendum censeo, eum bona in reatu mortuorum, modo non perduellium, ad successores transmittere nec sibi vindicare voluisse *g*). Equidem leges, quas de populi fisciue iuribus confecit, ad nostram aetatem non peruenierunt, at LAMPRIDIUM vere eas nominasse modestas, ex aliis rescriptis, nobis adhuc superstitibus, fisciue iura concernentibus, concludi potest. Neque ergo putandum, eum in fauorem fisci numerum testamentorum desertorum augere voluisse. Sed Alexandri salubres dispositiones, MAXIMINO successori displicuere, illis potius inuidit *b*), cum maxime auarus, omniaque rapiens crudelitate et saeuitia, locum indigne occupantem, defendere studeret, adeo ut senatus populisque preces effunderent, ne urbem intraret. Populi deliciae, GORDIANVS, per septem regiminis annos multa atque praeclara dedit rescripta, quorum ea, quae de fisci iuribus agunt, mode-

F 3

d) Exemplum praebet vectigalis hereditatum diminutio a MACRINO facta, qui vicissimam restituit.

e) in *pit.* c. 16.

f) L. 3. C. de testament.

g) L. f. C. de bon. eor. qui mort.

b) IVL. CAPITOLIN. in Maximin.

modestiae plena sunt, illi nimirum adeo non fauisse **MODESTI-
NVS** testatur, qui in dubio contra fiscum pronunciare publice
confiteri potuit *l)*. Sed iam deficere incipiunt curatiores mo-
rum, quos Principes seruarunt, narrationes, imo ipsi nec diu, nec
quiete regnarunt. Sic **CLAVDIVM**, cui **TREBELLIVS POL-
LIO** tot tantaeque laudes tribuit, vt Augustos, Traianos & Antō-
ninos, virtutibus superare videatur, leges dedisse optimas, *k)*
perditamque romani imperii & dissolutam disciplinam restituisse,
compertum modo habemus *l)*. Neque aliud de sequentibus ad-
firmare possum, plerumque breue tempus regnantibus, & bellis
contra barbaras gentes occupatis. **AVRELIANVM** delatores
& quadruplatores ingenti seueritate esse persecutum, *m)* seque ma-
gis gratum quam auarum erga populum monstrasse, inuenio.
DIOCLETIANVS tandem & **MAXIMIANVS** non minus faue-
re subditis, cum certam formam dederint ex quibus bona fisco
delata capienda erant, *n)* cuius tamen compendium non ne-
glexere.

§. XXV.

Verum quidem hucusque narrata ad argumenti mei causam
proxime non spectant, & conditionem & vires destituti testamenti
edocent, remote tamen, vt loqui amant, ex illis omnino quaedam
deduci possunt. Prout enim fisco multa inferuntur, prout eius
conditio, licet detrimento ciuium, melior perficitur; aut contra
eius salus in ciuium fauorem negligitur; leges quoque caduca-
riae, aut augentur, firmantur, extenduntur, aut cohibentur &
abrogantur. Iam si verum est, harum legum cognitionem, alte-
ram

*l) L. 10. D. de iur. fisci.**k) In Claud. c. vltim.**l) ZYMENIVS ad CONSTANTIN.
cap. 2.**m) FLAV. VOPISC. in Aurelian.
cap. 39.**n) L. 4. §. C. de iur. fisci.*

ram fere paginam nostri argumenti facere, ad animaduertendum non difficile erit, animi conditionem eorum, qui leges mutare queunt breuissime considerare, indeque, quantum fieri potest, aliquid abstrahere, maxime esse necessarium. Quum neminem fugere queat, quantam vim, mores status publici conditio, reliq. in interpretandis legibus habeant.

§. XXVI.

Sequuntur tempora CONSTANTINI Magni eiusque successorum ante Iustinianum, quorum constitutiones nostram attingentes materiam breuibus considerandae. Translata enim sede regia ad urbem Byzantinam, probataque religione christiana, varia, & in statu imperii publico, & in iuris ciuilibus oeconomia, mutata deprehendimus. Sed, vt haecenus receptum ordinem seruem, quoad Diui MARCI Constitutionem, nihil mutatum reperi; quare illam, vt hucusque, ab Imperatoribus seruata, imo, si fieri potuerit, extensam esse arbitror. Libertatum enim causam, iam ab antiquis temporibus magno in fauore fuisse non ignoramus, iam vero illum magis creuisse, quam deminutionem cepisse, inde colligo, quod libertatum datio, piis adnumerata sit causis, eaque ex hac ratione aestimata. Ex quo principio, libertates in testamento postea deserto, datas, non solum facta bonorum additione, sed & in aliis casibus esse praestitas, adfirmandum, cum alias Imperatores fuenta benevolentiae principia neglexissent, libertatumque conditionem deteriorem reddidissent.

§. XXVII.

Ad fisci ^{o)} causam ergo properemus & quaenam illa fuerit videamus. Ea vero pluribus non adeo grata fuit; publice

^{o)} Sub fisci nomine omnia iam obueniunt bona publica, eique tantum

privatum Augusti patrimonium contrahuntur: licet non inficias eundem,
 ni

confiteretur CONSTANTINVS p): *Potiorē apud se priuatorum causam quam fisci tutelam esse*: qua in re imitatus patrem CONSTANTIVM CHLORVM, quem eam ob causam mirifice laudauit EVTROIPIVS q). Rigorose in delatorum genus r) rebus priuatorum infaustum, & locupletandis thesauris publicis, suoque patrimonio augendo, ciuium conditionem miserrimam efficiens, animaduertit, illudue capitis poena coercere non dubitauit, si falsa non obseruatis legibus deferret s). Adeo enim mores erant mutati, vt delatores olim lautis praemiis excitandi, nunc poenis sanguinolentis vix coerceri possent. Et numquam fere penitus exstirpari potuerunt, vti ex repetitis Imperatorum Constitutionibus, & ex scriptoribus eorum temporum colligerere licet. Sane ad CONSTANTII aetatis mala ciuilia eos retulit AMMIANVS MARCELLINVS t). Neque enim hic Imperator, neque sequentes VALENS, cuius animi moderationem laudatus scriptor effert, u) VALENTINIANVS atque THEODOSIVS, damna perspicientes, quae prouinciae ex effrenata deferendi libidine per-

interdum ad fiscum designandum nomina esse adhibita, quae magis rem priuatam denotare videantur. Cf. SYMMACH. *Lib. IX. Ep. 131. & Lib. X. Ep. 60.* edit. *Phil. PAREL.*

p) *L. 2. C. de advocat. fisci.*

q) *Lib. X. c. 1. vbi: Vir egregius & praestantissimae ciuilitatis diuitiis prouincialium & priuatorum studens, fisci commoda non admodum adfectans, dicensque melius publicas opes e priuatis haberi, quam intra vnum claustrum reseruari.*

r) Placet distinctio delatorum in eos, qui personas delinquentes, & illos qui

vacantia bona atque caduca deferebant, quam *Iac. GOTHOFRED. in Comment. ad L. 2. c. Th. de petition. & vltro dat. delator. probauit.*

s) *L. 1. 3. C. Th. de petit. & vltro dat. & delat.*

t) *Lib. XVI. & Lib. XXI. extrem. Augebat, inquit, amaritudinem temporum flagitatorum rapacitas inexplera, plus odiorum ei, quam pecuniae conferentium.*

u) *Lib. XXXI. prop. fin. pag. 516. Super his omnibus liberali erat animi moderatione: cuius rei licet abundent exempla vnum tamen sufficere poni; &c.*

ciperent, industriam suam in coereendis delatoribus desiderari passi sunt *). Eum in finem certum procedendi ordinem constituerunt; *) poenisque obseruationem munierunt grauissimis, cum infamia, qua laborabant iniusti delatores, auidique petitores, eos non detineret *). Quum vero hucusque incertum esset, quaenam bona caduca sint nominanda, ea accurate Legibus determinare, optimum lites dirimendi erat medium, quo cuique pateret, an bona in eam peruenissent causam, ut merito fisco deferenda, an vero iniuste sint delata, ideoque laeso contra delatorem iudicum feueritatem, VI CONSTANTINVS 2) permiserat, implorare, competeret.

§. XXVIII.

Fecerunt id Imppp. HONORIVS, THEODOSIVS & CONSTANTIVS si Palladio rescribunt: *Caduca mortuorum bona tunc ad competidores iubemus ex nostra largitate transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel iuris titulo legitimum reliquerit intestatus heredem a).* Nemine igitur ex successoribus legitimis existen-

*) Testantur hoc innumerae constitutiones in Codice Theodosiano, quas tamen Iustinianus omisit, cum suo tempore necessariae non essent.

x) *L. f. C. de Bon. Vacant.* cf. *Alb. SCHVLTE disp. de iure fisc. in hered. priuat. p. 21.*

y) Quanto enim in odio fuerint delatores ex Epistola AVRELIJ SYMMACHI *Lib. IX. ep. 127.* ad amicum data, conicere licet, qui cum alio AERARII bona vacantia petere cupiebat. De competitoribus multae, quoque in Cod. Theodof. reperiuntur constitutiones. Quinam vero fuerint, nos docuit, I. GÖTHOFRED. *ad Rubr.*

Cod. Th. de petit. & vlt. dat. Tom. III. p. 429. Ed. Lugd.

2) *L. 5. C. de delatorib.*

a) *L. 30. Pr. C. Th. de petition. & vltro dation.* ex qua IUSTINIANVS conflavit *L. 4. C. de Bon. Vacant.* mutatis vero multis: sic enim pro *caduca legit vacantia*, & sequentium loco: *tunc ad competidores &c. posuit: tunc ad fiscum iubemus transferri.* Petitiones enim bonorum a VALENTINIANO in Nouella ex qua desumpta est. *L. 2. C. de petition. sublati* sublatae erant, atque adeo IUSTINIANI aeuo non amplius existebant.

G

te fisco inferuntur, & ad competitores transferri queunt, bona eius, qui vel intestatus decessit, vel cuius testamentum ad destituti conditionem redactum est. Recte quidem coniecit *Iac. GOTHOFREDVS* ^{b)} ante hanc constitutionem, non omnes, alioquin sanguinis vel iuris titulo succedentes, fisco esse praelatos, idque demum per hanc legem esse sancitum. Satis extendunt AAA. beneficium, non solum successores ex sanguinis vinculo, sed & ex iuris titulo admittentes. Sub his enim intelligit laudatus *GOTHOFREDVS* Coniuges, Confortem principalis clementiae, nec non patronum; eleganter & probe; eorum tamen adhuc plures sunt. Nam, ut supra (§. XXII.) memoratum ab Imp. legionibus tributum beneficium, a *CONSTANTINO*, ^{c)} uti videtur firmatum, silentio praetermittam, aequale ius Nauculariis, ^{d)} & Cohortalibus ^{e)} datum est. Hos ergo & plures intelligo sub iis qui ex speciali iuris titulo succedunt. Imo postea *THEODOSIVS* & *HONORIVS* idem ius Decurionibus ^{f)} atque Fabricensibus ^{g)} tribuerunt. Vnicum opponi posset, leges istas non de testamento destituto, sed de hereditate legitima, loqui: cum vero omnes concedant, destituto testamento rem ad causam reduci intestatam, idem quoque valuisse putandum. Sed dolendum Imperatores nihil dixisse an fiscus, an illi ad quos bona caduca perveniunt, ad praestanda in testamento scripta sint obligati, ex quibus testamenti vires commonstrare queam.

§. XXIX.

Magnam tamen huic Constitutioni lucem adfundere videtur *AVRELII SYMMACHI* Praef. Urb. elegans relatio, diu huius generis agitatae causae, *THEODOSIO A.* facta ^{b)}.

Me-

b) In *commentar. ad b. L.*c) *L. 2. C. de hered. Decurion.*d) *L. 1. C. eod.*e) *L. 3. C. eod.*f) *L. penultim. d. t.*g) *L. fn. C. eod.*b) *L. X, Ep. 62. Edit. Ph. PAREL.*

Meminit in ea constitutionis, a THEODOSII Germano in coelum recepto s. GRATIANO, ad Marcianum Protectorem, Aggriae bona tamquam vacantia postulantem, emanatae, eiusdem ferre indolis, quae nos docet, THEODOSIVM modo explicata lege plane nouum non constituisse. Sententiam scilicet his refert verbis: *ut si ea hereditas scriptum successorem vel legitimum non haberet, in ius fisci tamquam domino nuda concederet, & tunc insinuatō per Rationalem patrimonii modo operiretur petitor, quod ei sacra deferret humanitas.* Sed praua executorum interpretatio, ceu paulo antea erat conquestus, dum supplicantibus fauet, plerumque iussa corrumpens, & huic legi non obtemperauerat, bonis, priusquam in ea essent conditione, ut fisco cederent, non tam in eius fauorem, quam suam satisfactionem, si a competitoribus partem praedae acciperent, addictis, seu competitoribus, audissimis vulturibus, concessis. Quibus forte moti, Imp. curatorem normam suppeditarunt. Hanc ergo SYMMACHVS secutus est, & bona, tamquam caduca delata, omnibus examinatis, ea sibi non videri, pronunciauit, quoniam successores legitimi adhuc adefsent. Sententiam erga THEODOSIVM defendere studet, si ait: *cum vestri numinis aeterna iustitia, si scriptis aut legitimis successoribus vacaret hereditas, fiscum statisset admitti.* Ex quibus intellectu non difficile, Praefectum sub legitimis successoribus, simul eos intellexisse, quos Imp., ad euertendas fraudes, iuris titulo succedentes, nominauerant. Neque enim puto, mihi aliquem obiicere posse, in causa a SYMMACHO relata, testamentum defitutum non esse, quoniam ipse, facultates defuncti Marcellum, Byziam atque Heliodorum cepisse, fateatur: nam institutorum aduersarii, eo rem perducere studebant, ut illi adire non possent. Cui accedere videtur, SYMMACHVM, non in hoc casu solum, sed in omin specie, ubi scripti heredes ad successionem admitti poterant, secundum legem adeo late conceptam, pro fama temporum, ita iudicasse.

Su-

Superfunt adhuc permultae Imperatorum constitutiones huc spectantes, dictaque illustrantes, sed breuitatis causa omittendae sunt. His igitur temporibus caducam hereditatem non statim ad fiscum peruenisse, sed eam antea legitimos successores accepisse, ex hactenus explicatis clarum dilucidumque est. At si ex me quaeris: quanam fuerint destituti testamenti vires, & an legitimi ad implenda in testamento scripta obligati sint? hoc mihi non liquere, responderem.

§. XXX.

Ad certiora igitur descendamus, IVSTINIANVM nostrum eiusue hac in re susceptas mutationes consideremus, quas forsán miras deprehendemus, eorumque stomachum mouentes, qui neglecta temporum ratione quid olim, quid tum, quid postea valuerit, non distingunt. Sed quorsum haec? opus aggrediendum, quantumque vires admittunt, quid FLAVIVS voluerit discutiendum. Iam quod ad modos, quibus testatoris vltima voluntas deserta sit, attinet, eos, ex iure sui temporis probe notauit, iure factum testamentum, non adita ex testamento hereditate destitui tantum posse, s. vt illi loqui placuit, irritum fieri. Discrimen igitur quod hoc inter et aliud non plane perfectum intercedit elogium, ex veterum Prudentum doctrina, in eo ponit, vt ex testamento non adita sit hereditas. Quibus vero id contingere queat modis breuissime duntaxat indicauit; *aut quia noluit esse heres*, ait, *aut quia non potuit* ^{d)}, relinuens explicaturis Antecessoribus, vberiores illos reddere ^{k)}, quorum gratia permulta, libris

d) §. 7. l. de hered. quae ab intestat. deser.

k) Hoc agnouisse videtur THEOPHILVS qui in Paraphrasi exempli instar modi, quem supra ad necessarios refer-

re me memini, ad explicandam Imperatoris mentem, mentionem fecit; ait scilicet: — — μετὰ ταῦτα δὲ ὁ ἐξωτικῶς ἢ ἐσπεδιατικῶς, ἢ μὴ δυναθῆ κληρονομήσαι. (τυχὸν γὰρ ὑπο αἰρεσιν ἐγγρά-

bris suis, partim ad instituendam cupidam legum iuuentutem conscriptis inseruit, quae illo tempore non amplius erant usitata. Neque ego supra (§. IV. seqq.) hac de re tradita, iterum repetam, cum facile ad nostra applicari queant tempora.

§. XXXI.

Intestatus autem decessisse videtur, cuius testamentum in destituti causam redactum est,¹⁾ qua in re iuniorum temporum Imperatores secutus est. Imo, quibusdam in locis, auide ab aduersariis arreptis, omnem huic testamento vim, eum denegare voluisse, speciem habet. Caute tamen haec intelligenda, vt cum temporibus Institutionum, antiquis maxime consentaneis, consistere queant. Denegar destituto elogio vim, si deuoluta est successio ad legitimos, qui fisco praeferebantur, nisi ipsis simul a testatore praestations instituto scriptae essent iniunctae. Solebant enim testatores, metuentes, vt adiret ex testamento institutus, sicque ad legitimos perueniret hereditas, illis simul ea iniungere, quae instituto scripserant. Neque hoc in dubium vocare animus est, cum iam antea valuerit, meique sit rem vti fuit narrare, non vt esse debuerit potueritque, effingere. Neglecta vero seu ommissa dolo a legitimo instituto testamenti causa, aditaque ab intestato hereditate, testamentum, hoc modo destitutum, vires habuisse, adhuc defendo. Supra (§. XIII.) vidimus in hac specie omnia ex voluntate defuncti praestita esse, aliamque rationem quam in deserto testamento fundatam non inuenimus. Iam vero FLAVIUS, ab antiquis Prudentibus et Antecessoribus suis constituta, per receptionem in libros ab ipso editos, sua fecit, eaque tam

G 3

ἐγγραφὴ κληρονομία, καὶ ἢ τῆς ἐνστάσεως ἢ τῆς ἀρρέσεως) — — quae verit REITZLIUS & postea extraneus vel repudiet vel heres esse nequeat (forte

quam
enim sub conditione scriptus est heres
& institutionis conditio defecit).

1) Pr. I. quib. mod. testam. infirm.
Pr. I. de hereditatib. quae ab intestat.
deferunt.

quam a se scripta, nisi aliis constitutionibus sint sublata, intelligi iussit ^{m)}, haec igitur, cum nil noui constitutum reperierim, vt Iustineana spectare non dubitavi.

§. XXXII.

Libertatibus in testamento relictis mire IUSTINIANVM fauisse ex abrogatione Legis Fufiae Caninae, olim ob libertorum malitias datae, concludere fas est. Quid igitur mirum si et Diui MARCI constitutionem ex qua, ipso confitente variae dubitationes, erant subortae, suis quantuis pretii emendationibus auxerit. Refert in elementis legitimaе scientiae ⁿ⁾, se plenissimam eum in finem condidisse constitutionem, intelligitque eam quam ad Ioannem PP. emiserat, forte priori Codici iam insertam, et adhuc in repetitae praelectionis constitutionum corpore exstantem ^{o)}. Eam ergo breuibus considerare animus est. Et primo quidem notandum, testamentum vt olim facta bonorum additione destitutum mansisse, cum ipse fateatur, constitutioni locum esse, si nemo hereditatem adire queat, quod, licet et in intestata successione esse possit, aditionem ex testamento tamen non excludit ^{p)}. Sed noua videamus. Reiecta Diui SEVERI constitutione, qua, facta bonorum venditione, additioni amplius non erat locus, adoptata VLPIANI sententia, intra annale spatium eam permittit, ita quidem, vt non solum seruus in testamento manumissus, sed etiam extraneus, praestita solita cautione, bona a venditore repetere queat ^{q)}. Ratio benignae constitutionis est,

^{m)} Constit. de confirm. Digest. §. 10.

ⁿ⁾ §. ult. l. de addit. bonor.

^{o)} L. ult. Cod. de testametar. Manumission.

^{p)} Cfr. §. XXII. supr.

^{q)} Hec eum venditione bonorum iustitiaeque perbene conuenit, siue ab vno

siue a pluribus bona erant emta, licet si distracta essent applicationem legis difficiliorum esse non distitit. At in priori specie, recepto pretio creditoribus soluto, emtor ei, cui bona addici debebant, bona tradebat, qui ex testamento

est, ne pereant libertates. Libertis vero nullo obest modo siue creditoribus per omnia satisfiat, siue cum petitore ad certam summam pacifcantur: res enim inter alios acta est. ^{r)} Eundem vero libertatis fauorem desidero in speciei decisione, vbi serui in testamento directe manumissi consentire nolint in conditionem qua bonor. possess. eos manumittere promittit. ^{s)} Quae in hoc casu MARCI forsân fuisset sententia, supra (§. XIX.) ex rationibus vero similibus probaui, eorumque sententiae, qui hoc textu freti, ab initio iam idem statuunt, calculum adicere dubitau; Nunc autem aliud statuere absouum foret: Quodsi ergo nec consentiant directe manumissi in eam conditionem, sub qua addicta sunt bona, cogit illos FLAVIVS in seruitute manere, & quem patronum habere noluerint, dominum suum forsân acerbum sentire ^{t)}. At haec sanctio opinioni valde obesse videtur. Causam tamen non defero: nam si et intuitu directe manumissorum testamentum destitutum vim non ostendat omnem, eam tamen in fidicommissariis deprehendimus. Has enim bonor. possessor vtique praestare debet, eandemque nanciscuntur conditionem ac si adita ex testamento esset hereditas. Deinde vero si et directe manumissi a bonorum possessore libertatem accipiant, ideo tamen eam consequuntur quoniam in testamento illa ornati. Sed aliam offensionem forsân praebet imperator, si arbitrio petitoris reliquit an omnibus libertatem dare velit, an non ^{u)}. Et FLAVIVM heic omnino bonor. possessori in eo magis fauisse inficias eundem non

mento libertatem dabat. Bonorum enim emtor seruis manumissis in testamento pileum libertatis non imponebat, cum ad patrimonium pertinerent, & ille in pretio determinando ad eorum qualitatem respexisset. Quod tamen non excludit, eos ab emtore tamquam domino manumitti non potuisse.

^{r)} *L. nostr.* §. 1.

^{s)} *L. nostr.* §. 2.

^{t)} Haec dispositio quibusdam forte superflua videtur quod nemo aliqualem libertatem seruituti non praeferat sed meminime legere apud VLPIANVM, perinde non esse a quo quis manumittatur.

^{u)} *L. nostr.* v. 4.

non est, cum illi, si res hereditariae ad implendos creditores non sufficiant, aliudue pacto definitum non inueniatur, non omnes manumittere permiserit. Equidem totius legis ratio, ut libertates seruentur, hoc in casu quodammodo neglecta est, eaque pars cum reliquis pugnare videtur. Sed ita placuit IUSTINIANO; aliquam tamen vim inuenio cum quidam ex testatoris voluntate ad libertatem perueniant. Reliqua ex hac constitutione notanda breuitatis studio omitto, cumque et passim in considerandis emendationibus IUSTINIANI, vires quas libertatum ratione testamentum destitutum habet notauerim, eas heic repetere superfedere possum. Fisci autem conditionem meliorem non esse factam, sed ut antea permanuisse, inde concludo, quod in eius fauorem nihil noui constitutum reperiam, quod non mirandum, si FLAVIUM ipsius commodum non adeo adfectasse cogitamus. Fiscus igitur uti extraneus, sibi ut addicantur bona curare potest, et in additione reliquis extraneis tantum praefertur, Si tandem et ipsum Imperatorem nostrum scripsisse inuenias, non adita hereditate libertates non competere, hoc praesertim ad istum referas casum, ubi institutus nondum declarauit an heres esse velit, manumissi vero libertatem exigunt. Sunt denique, qui post Nov. I. huius constitutionis usum in dubium vocare velint ^{m)}, quorum opinionem hic late disquirere nolo, eiusue veritas ex infra dicendis facile liquebit.

§. XXXIII.

Fisci causam optimam regnante IUSTINIANO non fuisse, modo dixi, eam igitur paulo accuratius contemplari fas erit ⁿ⁾. Et profecto ciuium potius res priuatas augere, quam suos

^{m)} E. g. Fr. BALDWIN. ad §. II. de addit. bonor.

ⁿ⁾ Nullum amplius inter fiscum atque aerarium discrimen fuisse, omnes, quan-

suos locupletare thesauros, maluisse IUSTINIANVM, ex constitutionibus, de iure fisci datis, colligi potest. Quamquam enim PROCOPIVS summus famae Nostri infensor, variis locis 1) sordidae avaritiae, cupidinisque expilandarum hereditatum, eum accusare non erubescat, hae tamen calumniae tam ex suis libris, quam ex aliis fide dignis scriptoribus, facile conuelli possunt 2). Et optimum contrarii documentum in libris nostris habemus, quum sane ex constitutionibus legibusue, Principis animi conditionem optime abstrahere possimus. Eminent inter Iustiniani leges notatu nobis dignissima ad Senatum vrbs Constantinopolitanae data constitutio, qua caducorum materiam paene euerit, iusque, primis Romae temporibus receptum, avaritia imperandique libidine suppressum, nec hucusque plene restitutum, iterum reuocauit, meliusque reddidit. a) Causam huius legis atque occasionem, rationemque quare caduca ab orbe romano recludit, Ipse in proemio declarauit: quoniam scilicet belli calamitate inducta, pacis lenitas sopire solear. Recte enim Valerius apud LIVIUM b) ait: *quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales et temporibus ipsis mutabiles esse video, quae in pace latae sunt, plerumque bellum*

abro-

quantum scio concedunt; vanum erat aerarii nomen; eoque, uti fisci elogio, thesauri publici veniunt, separati a re priuata, siue patrimonio Augusti. Principi vero omnia iura in fiscum competeabant, & FLAVIUM interdum ad auertendas hostium incursiones loculos expilasse, inuenimus. Duo igitur in aula Byzantina inuenimus officia, alterum tenet Comes sacrar largitionum alterum Comes rerum priuatarum; quae tamen iam ante Iustinianum inuenta sunt.

1) *звездот.* n. 62. edit. EICHEL. Alii, cum quibus fecit GYTHBERLET in *Chronolog.* p. 289. IUSTINIANVM ad calumnias & delatationes audiendas pronum fuisse dicunt, ex quibus praetextus arripuerit ad spoliandos subditos facultibus, quas in aedificationes conferret, harum enim multas magnasque fecit.

2) Cfr. EICHELII praefat. ad PROCOPI *звездот* §. 29.

a) *L. vn C. de caduc. rollend.*

b) *Historiar.* Lib. XXXIV.

H

abrogat, quae in bello pax. Emendauerant quidem anteriores Principes, permulta legis Papiæ capita c), at quod alii inchoarunt consummauit IUSTINIANVS. Dudum certe de hac constitutione cogitasse, ex Constitutione ad Senatum omnesque populos, qua Digesta promulgauit, adparet d), sed perfecto demum Pandectarum opere, illa repetitæ praelectionis codicem exornare maluit. Fecitque omnino, cum neque longior, neque nobilior, neque ad subtilem de iure disputationem, magis comparata sit constitutio latina IUSTINIANI, teste Fr. BALDVINO, solertissimo legum Iustinianearum interprete e). Praesertim vero huius legis auxilio restituit ius antiquum, per Legem Papiam confopitum, cum et legatorum diem, iterum a morte testatoris, non ab apertura tabularum cedere, statuerit, similiter aditione hereditatis clausis adhuc tabulis permissa f). Erat enim *επισημοποιητικον*, quod hereditatis aditio non plane a voluntate instituti

pen-

c) Cfr. Jac. CUIAC. *Paratitl. in b. l.*

d) Constitut. TANTA de Confirm. Digest. vbi §. 6. recensitis his quæ in parte Digestorum quinta reperiuntur ita pergit: *Sed in his (Digestis) nihil de caducis a nobis memoratum est: ne causa quæ in rebus non prospere gestis, & tristibus temporibus Romanis increbuit calamitatibus bello coalescens ciuili, nostris maneat temporibus, quæ fauor celestis & pacis vigor firmavit, & super omnes gentes in bellicis victori periculis superposuit: ne luctuosum monumentum laetra secula innumbrare concedatur.* Data vero hæc constitutio XVII. Kalendar. Ianuar. Iust. III. Cos. 533. sicque integro anno sexve mensibus antiquior est, Lege vnica de Caducis tollendis, quam nimirum

in Ludou. CHARONDAE editione Codicis subscriptam inueni Kalend. Iun. Constantinop. DN. Iustiniano IIII. & Paulino V.C. Cos. in aliis vero Dat. Cal. Iun. Constantinop. DN. Iustin. A. PP. 5. & Paul. VC. COSS. 534. quare & notauit A. CONTIVS ad diët. subser. in Institutionibus de caducis nil reperiiri. Id autem singulare videri posset, quod neget in digestis de caducis aliquid obuenire, & parum abest quin BALDVINVS in *Iustinian.* p. 340. Imperatorem mendacii accuset. At puto intellexisse FLAVIVM suas de caducis mutationes cuius in Digestis, ne maior laboriatur confusio, meminisse noluit.

e) in *Iustinian.* p. 337.

f) *Leg. nostr. §. 2.*

penderet, sed apertis tantum tabulis absolui posset, quum intra hoc tempus instituto facile aliquid contingere posset, quod aditionem impederet, sicque hereditatem, ad transmissionem non aptam, tamquam caducam aerario deferret. Iam licet hoc forsitan paulo ante IVSTINIANVM, non adeo accurate fuerit obseruatum, plane tamen nondum erat sublatum. Ipse ait: *primum hoc corrigentes, & antiquum statum renouantes sancimus omnes habere licentiam a morte testatoris adire hereditatem g*. Quo facto iam testamenti destitutio adeo facilis non erat: plane tamen eam fuisse exclusam, non arbitror.

§. XXXIV.

Sed propius ad caduca accedamus. Nominauit Imperator caducum quod mortuo testatore deficiebat. Componit igitur definitionem, cum paulo antea dictis & explicatis. Non enim amplius distinguit, an apertis tabulis, an nondum recitatis, defecerit institutus, vti ex L. Iuliae & Papiae Poppaeae sententia discernendum erat, nec amplius ita distinguere poterat, cum aditionem hereditatis a tabularum apertura non suspenderet, sed ipsis clausis eam permitteret. Quapropter bona Vacantia & caduca olim diuersa nunc in eo conueniunt, vt ad honoratum non perueniant, quoniam hereditas non adita, siue ante tabularum aperturam, siue post illam. Id saltem certum, hereditatem destituto testamento caducam fieri, destituitur enim Iustiniano aeuo testamentum non adita hereditate (§. XXX.) modo quod nunc aditio facilius celebrari, adeoque hereditas transmitti queat. Quodsi

H 2

g) Salua tamen iure deliberandi, quod beneficii instar heredibus largitum, & pro diuersitate eorum modo longius modo breuius complectitur tempus. Sed magis obflare videtur L. penult. §. 2. C. de inoff. testam. vbi Imp. ait, non

licere heredi, quando voluerit, hereditatem adire, sed paulo accuratius si illam contemplamur, dubii species in auras abit, siquidem ratio est, quare Imperatori HERENNII MODESTINI sententia displicuit.

vero nihilominus testamentum destitutum fieret, non defuit FLAVIVS ordinem, ex quo bona relicta deuoluuntur, determinare. Primus scilicet substitutus instituti, si voluerit potueritque, vocatur, & ad eum caduca peruenit hereditas: *b)* hoc quidem necessarium, quoniam ideo, ne testamentum fiat destitutum, substitutio facta. Sed finge substitutum, aut nolle, aut non posse adire, tunc habebis testamentum destitutum (§. VII.). Ideo tamen Imperator taxandus non est, cum omnes casus complecti maluerit. Regeris quidem omisisse casum, vbi institutus cohaeremem habet; sed ita speciem formauit, vt vnus primo gradu institutus, eique vnus sit substitutus. Nam expresse ait: *si quis solidam hereditatem non adierit*, quid enim fieri velit, si coheredes adsint antea, vbi de iure accrescendi egit, exposuerat. Iam si & substitutus deficit, successoribus ab intestato, sub quibus sine dubio & ex iuris titulo succedentes, intellexit, si adsint & hereditatem subire velint, locum adsignauit: sin vero secus, tota hereditas ad aerarium deuoluitur. Nullum igitur dubium nobis superesse potest, qua ratione destituto testamento hereditas deuoluitur; hacque noua dispositione, mea qualiscunque opinio, scilicet ex L. Papia ita non fuisse, nouam rationem consequitur: nonne enim omnibus iam ita constitutis, haec denuo tam accurate repetere superfluum fuisset?

§. XXXV.

Sed iam ad vires vltimi elogii herede destituti descendendum, & an IVSTINIANVS nobis hac constitutione faueat, videndum. Equidem directe hac de re nihil edixit, quamquam in modo explicata §pho XIII.: commodissimum habuisset locum: ideo

b) §. 17. Leg. nostr. necessario cum disponat & ipse Legislator eos coniungendus, quum de eadem re xit, ceu infra pluribus demonstrabo.

ideo tamen contrarium Legislatori placuisse, falso sibi quis persuaderet, dum artificiosa probatione mentem Augusti euincere possumus, quam nunc aggredior.

Et primo totius legis ratio ad caduca minuenda dum a fisco alienantur & legitimis largiuntur, ita tamen, ut illis onera incumbant, a quibus ne fiscus quidem exceptus, directa est *b)*. Eum in finem imperiali effato generalem constituit regulam: *neque ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit d)*. Quibus verbis nihil aliud dicere voluit, nisi fisco ex imperiali clementia praelatos, caduca aut in eorum causa constituta capientes, eo, ut ultimam defuncti voluntatem negligere queant, meliorem Imperatore conditionem, non habere, sed commodum percipientes incommodum necessario suscipere debere. Dein ipse fiscus, si ultimo succedit loco, obnoxius est praestationibus, neque singulari gaudet privilegio, quod verba: *nec illi (fisco scilicet) pepercimus, nec Augustum privilegium exercemus e)* probant; de quo infra pluribus. Porro id ex eo patet, quod ius accrescendi, tam inter coheredes, quam inter collegatarios, plene restitutum sit, illis tamen & nolentibus portio vacans cum onere accrescat, his si subire velint. Iam si rem accurate perpendimus, quoties vnus alterue heredum deficit testamentum ex parte destitutum est: (quamquam lubentissime largiar, id ab Interpretibus receptum non esse), & tamen testamentum ex vna alteraque parte desertum, in eo monstrat vires, ut, commodum ex accrescendi beneficio propullulans capientes, onus a testatore cum honore coniunctum, simul suscipere teneantur. Quodsi enim nullam vim haberet testamentum destitutum, & in hac parte nil ex eo praestari posset. Vti enim vnicus he-

H 3

res

b) §. 14. *L. nostr.* Probant dicta ipsa Imperatoris verba initio varisq; constitutionis locis posita.

i) §. 4. *Leg. nostr.*

k) §. 14. *nostr. constir.*

res institutus, additione ex testamento onera omnia ei a testatore scripta, suscipit, ita quilibet, pluribus institutis, partem agnoscendo, ad grauamina ipsi adiecta, se offert: vnde olim forte vacantem portionem onera non sunt secuta. Quod, vt clarius fiat, breuissimis IUSTINIANI de iure accrescendi inter coheredes dispositionem videamus. Prout nimirum coheredes aut coniunctim siue disiunctim, aut mixte scripti sunt, distinxit ¹⁾. Vacante igitur coheredis, substitutum non habentis, portione, vel omnes coniunctim siue disiunctim sunt scripti; vel alii coniuncti alii secus. Priori in casu vel iam omnes agnouerunt partes, vel quidam tantum: si illud, ipso iure nolentibus quoque, imo defunctis, quoquo modo euacuatam cum suo onere, pro hereditatis parte accrescit. Sin hoc, frustra quidem decisionem apud IUSTINIANVM quaeris, sed ex priori specie facile colligi potest, scilicet eis, qui partes suas nondum agnouerunt, vacans seu caducum non accrescit, ratio enim, quare prioribus accresceret, erat, quod incongruum foret partem agnoscere, partem repudiare, haec autem in his, qui nondum agnouerunt suas partes cessat, ideoque dispositio locum non habet. Posteriori vero in casu, vbi nimirum mixte sunt scripti, vel ex coniunctis vnus deficit, vel ex disiunctis; si prius, soli coniuncti, pro parte hereditaria, ad euacuatam vocantur, grauamiraeque adiuncta subeant, necesse est. Si posterius, hoc quod euanescit & ad con- & ad disiunctos cum onere pro portione hereditaria venit. *Haec ita tam varie, ratio FLAVII adiecta est, quia coniuncti quidem propter vnitatem sermonis quasi in vnum corpus redacti sunt, & partem coniunctorum sibi heredum quasi suam praeoccupant: disiuncti vero, ab ipso testatoris sermone apertissime sunt discreti, vt suum quidem habeant: alienum autem non solum appetant, sed cum omnibus coheredibus suis accipiant.* Quo magis vero defuncti voluntas seruari possit, subtiliter praestationum diuersitatem enume-

ra-

¹⁾ §. 10. nostr. leg.

ravit ^m). Onus scilicet siue praestatio emolumento, quod iure accrescendi ad alium peruenit, adscripta, vel in dando consistit, vel in faciendo. Illo in casu lucrantes, pro modo lucri, eam adimpleant necesse est. Hoc autem, vel ab alia quam instituta & deficiente persona impleri potest, vel minus: si prius, simili modo ab emolumentum capiente agnoscendum est onus; si posterius non aequae sequitur lucrum grauamen. In his ergo defuncti voluntatem exacte seruatae deprehendimus. Si enim in extrema specie, praestatio non impletur, id non exinde, quod heres institutus deficiat, sed ex natura praestationis, ossibus instituti quasi inhaerens, venire, me non monente neminem fugere arbitror. Ipsa vero onera, ab illis, ad quos iure accrescendi deuoluta sunt, eadem sunt praestanda conditione, ac ab eo cui a testatore adscripta, ceu adducta nos docent exempla.

§. XXXVI.

Non in vna vero alteraue caducorum specie principium seruare voluit, sed in omnibus illud declarauit, applicauit. Quid igitur magis esset absonum, quam putare, onus illud quod substitutis, cohaeredibus, ipsi denique fisco imposuit, solis successoribus legitimis ademisse? quid magis salebrosum ac concludere, quod opinio mea falsa sit, quoniam expresse illud non dixerit, cum tamen antea casum exposuerit. Methodo enim in systemate adhibenda, lex perscripta non est, vt prius cognitu necessaria praemitantur; frustra vero rectam tentabis explicationem nisi quae coniungenda coniungas & ita legem explices. Flavius quidem in Constitutionibus suis stylum asiaticum, amplum, cothurnis incedentem, vniam rem late exponentem, alteram tacite decidentem, vsurpauit: at igitur omissa non admittere, eadem legis ratione existente, procul, procul abesto. Quorsum vero haec

ni) §. 9. constitution, nostr.

haec omnia nisi ex limpidissimo fonte, ipsa nimirum lege, rationes haurire, et ex verbis illius veram esse nostram opinionem saltem vero simillimam probare possemus. Principium erat lucrum qui capit, praestet etiam onus lucro ex testatoris voluntate adiunctum: falsiceret id in caducis monstrare hereditatibus, ne tamen aliquid deficere videatur, priores etiam casus brevissimis lustrandi. Incipit cum his quae pro non scriptis habentur ⁿ⁾, seruatque in ipsis iuris antiqui placita, ex quibus non nisi perraro adiuncta gravamina praestabantur ab eis ad quos emolumenta peruehiebant. Hoc autem mihi non obest, nam si verum quod **ULIANVS** ^{o)} ait: *perinde haberi ac si testamento inserta non essent, uti et nomen impositum testatum, ideo quoque praestari non poterant, quoniam testamentum in eo de quo silet, vel saltem habetur, vim nullam ostendere potest. Non scriptis enim onus imponi nequit, & impositum, emolumento pro non scripto habito, quasi plane abesset non praestatur. A quo tamen pauci casus, sub vocula perraro contenti, sunt excepti ^{p)}. Progredior ad ea quae in causa caduci versari dicuntur, quid in his statuerit Imperator ex constitutionis verbis, illustratione non indigentibus, optime elucebit: *Omnes personae, inquit, quibus lucrum per hunc ordinem defertur, eae etiam gravamen quod ab initio fuerat complexum omnimodo sentiant: siue in dando sit constitutum, siue in quibusdam faciendis, vel in modo, vel conditionis explendae gratia, vel alia quacunque via excogitatum ^{q)}. Quibus omnes relinquendi modos comprehendere voluit. Sequuntur ea, quae ut indignis auferuntur: in his intacta seruaui quae antiquis Legibus sunt dicta, siue in fiscum veniant siue ad alias personas.*
Inter.*

ⁿ⁾ Quae qualia sint Ipse exposuit §. 3. h. leg. Plura exempla eorum dedit I. G. HEINECCIUS Commentar. ad L. Iul. & Pap. III, 5.

^{o)} L. 1. D. de his quae pro n. scr.
^{p)} L. 5. D. de his quae pro non scr.
L. 26. §. 6. D. de fidec. libert.
^{q)} §. 4. nostr. Leg.

Interdum enim remanebat apud eum a quo relictum erat. Fiscus autem cum onere succedit ⁷⁾. Tandem peruenio ad caducam hereditatem. Caduca erant quae deficiebant morte testatoris; iis ergo non adita ex testamento hereditas adnumeranda est. Quo ordine illa deuoluatur a me iam demonstratum (§. XXXIV.). Mei ergo tantum est probare, heredes legitimos quos Imperator, non existente substituto fisco praetulit, ad subeunda grauamina, heredis institutioni adposita esse obligatos, si heres institutus nec adiit, nec transmisit hereditatem. Ex principiis, variisque iam enucleatis id quidem abstrahi posset, maiorem tamen habebit virtutem, si diserte id legem tradere, ostendere valemus.

§. XXXVII.

Eum in finem §. XIII. legis nostrae cum §pho VI. eiusdem coniungendus. In hoc enim definit, quae sint caduca, & quando fiant, quibusue aditionem & transmissionem permittit. In illo vero successionem in hereditatem caducam determinat. Ipsum, hac in re secutus *IUSTINIANVM*, imperantem vt ex aetate §phi coniungantur. Incipit nimirum §. XIII.: *Cum autem in superiori parte legis, non aditam hereditatem minime, nisi quibusdam personis ad heredes defuncti transmitti disposuimus.* Hoc autem §. VI. fecerat, ideoque in aprico iacet, ipsum eos coniungere voluisse. Quae igitur in §. VI. & sequentibus periodis sunt disposita, omnimodo ad hunc casum sunt applicanda, quasi iam compertum haberemus, ad quos caduca perueniunt; iam vero ultra progrediendo, omnibus iisque ad quos, citra testatoris voluntatem bona perueniunt, ne fisco quidem excepto onera imposuit, ergo et successores legitimos exceptos non esse, concludendum erit. Repeto, Iustinianum omnium esse oblitum si ita, vt plures interpretum putant, disposuisset. In sequentibus porro

⁷⁾ L. 16. §. 2. De his quib. vt indign.

porro, vbi de modo praestanda legata loquitur, non saepissime solum indistincte ait, omne lucrum cum suo onere venire, sed et caducorum expresse meminit. *Hoc videlicet*, ait, *in omnibus obtinente, ut pro simili parte & lucrum sentiant & grauamen vbi hoc possit procedere*, (h. e. si conditio ab alio praestari queat) *habeant. Et hoc quidem locum habente omni quidem modo in his quae in causa caduci vel caduca [secundum quod suprascriptum] fiebant.* Aperte hic testatur Flavius et in caducis id locum habere, secundum, quod supra scriptum, quibus tam ad §. 2, quam 6, & 13. arctissime cohaerentes respicit. Iam vero ante fiscum successores legitimos ad caducam vocat hereditatem, si nec coheres, nec substitutus adest, iusque lucrum hereditarium, ex testatoris voluntate ad eos alioquin non peruenturum, adsignat, ergo in sequentibus de obligatione ad grauamina cum commodis coniuncta, exacte ex testamenti lege praestanda, enunciata, ad illos sunt applicanda. Eadem tamen et in his vsus est cautione, pro qua parte scilicet lucrum sentiant, grauamen quoque subeant: quod et omnino, vti de coheredibus, de legitimis successoribus praedicari potest. Tandem ius accrescendi inter coheredes in testamento scriptos receptum, inter successores ab intestato sibi locum vindicat eadem ratione quam praescripsit Imperator in prioribus (§. XXXV.) Ipsam audi: *Haec autem omnia locum habere censemus — vel si quid ab intestato fuerit relictum* ¹⁾. Nonne vero destituto omni ex parte testamento, deuolutaque ad successores hereditate, res intuitu successionis ad causam intestati redit? Euacuatum, olim ad fiscum delatum nunc ad legitimos successores peruenit, transit vero cum suo onere; quale vero aliud cogitari potest, quam quod testator in testamento destituto emolumento adscripserat? Tu numquam negabis, excitata verba omnium minime ad ius accrescendi paulo antea a Nomotheta reuocato & explicato,

per

¹⁾ §. 15. nostr. Leg.

pertinere: hoc saltem omnes, reliqua pernegantes, concedunt: at quaeso, cogites successorem legitimum, ob destitutum testamentum succedentem, ad subeunda grauamina, percepto lucro, non esse obligatum, et tamen ut coheredem legitimum ad quem eadem portio, rursus vacans, ex iure accrescendi ab intestato peruenit, quoniam cum suo onere venit, obligatum? Nonne apertam contradictionem deprehendis? Hanc tamen necessario admittere debes, si meam interpretationem in dubium vocas. Quodsi enim illud indubitatum iuris principium successorem ad plura subeunda non esse obligatum, quam penes decessorem erant, fuerint sane apud hunc onera necesse est, quae ex Imperatoris voluntate, accreta portione in coheredem transeunt. Iam si causam testamenti destituti fingimus, quorsum alias onera, tam clare, tam eleganter a FLAVIO exposita, descendunt, ac ex voluntate testatoris? quasi cuiusque portioni adfixa, transeunt ad illum qui aliquam capit, siue substitutus, siue coheres, siue legitimus successor sit.

§. XXXVIII.

Ne denique iniusti quid heredibus legitimis per hanc dispositionem contingere quis credat, fisco pariter non pepercit Imperator, sed eadem illi iniunxit onera. *Tantum, ait, nobis superest clementiae, quod scientes etiam fiscum nostrum ultimum ad caducorum vindicationem vocari, tamen nec illi pepercimus, nec Augustum privilegium exercemus; sed quod communiter omnibus prodest, hoc rei priuatae nostrae utilitati praefendum esse censuimus, nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimantes.* ¹⁾ Quod paulo antea aerarium nominauerat ²⁾, nunc fisci rei que priuatae nostrae nomine comprehendit, eo que nos edocet, haec nomina mire suo tempore confusa, pro subiectae materiae conditio-

I 2

¹⁾ §. 14. nostr. Constitut.

²⁾ §. 13. cod.

ditione esse intelligenda. Heic enim fiscum inter et patrimonium priuatum distinguere, quasi dixisset: fiscus non solum onera praestare debet, si ad illum caduca perueniunt, sed et res nostra, Augusto Augustae heredibus institutis, priuatorum iure uti debet, ideo non admittendum censeo, quoniam in hoc casu princeps instar priuati erat: & si *VLPIANVM* opponere velis, dicentem, *quodcunque priuilegium fisco competit idem et Caesaris ratio habere solet* ^{u)}, nihil aliud euincere posses, cum nullo fiscus gaudeat priuilegio. Seruanda igitur nostra interpretatio, ex qua fiscus sub rei priuatae nomine heic obuenerit, cum et aliter ita nominari probarunt *PANCIROLLVS* ^{x)} atque *GVTHERIVS* ^{y)}. Ecquid aliud autem verbis se fisco non pepercisse, ex primere voluit Imp., ac illum, uti omnes ad praestanda in testamento destituto heredi iniuncta, esse obligatum, neque meliori alii priuatis frui conditione? Nullo iure hoc scribere potuisset si legitimi successores ab istis praestationibus immunes essent. Quod cum nulla statui possit ratio, nec ipsa legis verba admittant, merito, ceu feci, decisionem conficere me oportuit. Quod igitur communiter omnibus prodest, hoc rei priuatae utilitati praefendum esse, iustissima hac lege Iustinianus censuit, egregiorum more Principum, suum esse proprium subiectorum commodum, imperialiter existimans. Neque Augustum, ipso fatente, exercere voluit priuilegium, quo verbo legem forte regiam, seu imperii, ut Imp. *ALEXANDER* ^{z)} illam vocauit, intellexit uti *HEINECCIUS* ^{a)}, *BACHIVS* ^{b)}, aliique autumant.

§. XXXIX.

Sic explicata, quantum ad stabiliendam thesin meam sufficere arbitror, notatu dignissima de caducis tollendis *FLAVII* lege,

u) *L. 6. §. f. D. de iure fisci.*

x) *ad Norit. vtriusque Imp.*

y) *de Offic. dom. Aug. L. III.*

z) *L. 3. C. de testam.*

a) *ad Barn. BRISSON. de verbor. signific. v. Augustus.*

b) *Histor. iurispr. rom L. III. C. 1.*

§. 7.

ge, imperialis benevolentiae iustitiaeque recte sufficienti; mei iam esset per singula demonstrare, vires inde testamentum accepisse destitutum. Cum vero hoc iam occasione interpretationis fecerim, superesse tantum videtur, obiectionibus quibusdam, specie haud destitutis, obuiam ire. Auctores earum laudare nequeo, cum neminem taxare vel refutare, sed solam proferre meam opinionem, quidue sentiam ingenue dicere animus est. Et primo quidem moneri posset, IVSRINIANVM ex mea interpretatione in hoc loco multa fecisse noua, iure anteriori fere penitus euerso, quod praesumendum non sit. Sed tantum abest, vt hac lege noua constituta non esse, aut Imperatorem constituere voluisse, negem, vt potius noua excogitata proferre voluisse, censeam. Verum enim ex allatis verbis Constitutionis de conf. Digest. c) videre est, mutationem eam ante editum Codicem rep. prael. agitate, ideoque nil horum Digestis inferere voluisse, iuribus antiquis in eis maxime seruatis, sed eas singulari legi reseruasse, fidemque datam, nostra de caducis tollendis lege, quam optime liberaffe. Ideo singularem composuit legem, quo liberior, quae placerent, emendare nouaque inducere posset. Firmat meam opinionem constitutionis prooemium, licet illud minus promittat, quam ipsa lege continetur; cum enim praecipue de caducis Lege Papia inductis abolendis verba fecerit, breuissimis tantum iuris accrescendi reuocari, seruataeque liberae substituendi facultatis meminit. Tandem patet ex principiis, quibus, ramquam fundamentis, totius legis aedificium superstruxit, ita comparatis, vt inde deducta cum iure anteriori, haud conuenire queant. Debuisset vero noua inducere exinde facile deducitur, quod cum capitali legi Papiae, ab anterioribus Principibus in multis capitulis emendatae, & per desuetudinem fere abolitae, d) inuidiosum vigorem penitus adimere veller, doctrinam de caducis iuribusque

I 3

fisci

c) Vid. supra §. XXXIII. not. d.

d) pr. leg. nostr.

fisci aliter ac olim conficere necessario deberet; taliaque constituere, quae cum iure anteriori componi non possent. Varios quidem modos, quibus Imperatores priuatorum testamentis succurrere voluerunt, mediis, quae praesertim legis Papiae rigorem extendebant, amputandis & prohibendis vidimus; neminem tamen in totum abrogasse Augusti institutum reperimus. Quodsi vero IUSTINIANO placuerit, legem penitus tollere, nouaque inducere, num ideo taxandus? Num melius fuisse putas, si adeo clare mentem suam non reddidisset, sed illam fragmentis ICtorum in Pandectae relatis substituisset? Restituit quodammodo iuris antiqui speciem, non simpliciter vero, sed variis emendationibus exornatum, quae, si non attendimus, frustra essent scriptae. Vocat legitimos successores ad hereditatem caducam, ne tamen legatarii alique inde damnum percipiant, ad praestationem gravaminum eos obligat. Haec est imperialis benevolentiae labor quem nemini manere voluit incognitum ^{e)}. Altera dubitandi ratio esse posset: ne sinistra legem esse interpretatum, neglecto ab auctore in ea scribenda ordine adhibito, & ab illo separatis coniungendo. At huic oppositioni ne iam satisfacere memini ^{f)}. Ducit tamen ad tertium argumentum ex ipsa lege desumptum. Opponi possent verba: *Libertatibus proculdubio & post praesentem sanctionem propter sui naturam quae aditionem heredis expectant, ab adita hereditate una cum aliis, quae seruis in testamento manumissis vel aliis legatis relicta sunt, competentibus g)*. Ita scilicet concludi posset: si libertates, legataque libertis aliisque relicta, hereditatis aditionem expectant, non adita hereditate praestari nequeunt; iam vero in testamento destituto hereditas adita non est, ergo frustra ex illo petuntur. Quodsi exigi nequeant, testamentum vim non habet; prius est, sit ergo posterius. Sed dubii species in

^{e)} §. ult. leg. nostr.

^{f)} vid. supr. §. XXXVII.

^{g)} §. 6. L. nostr.

in fumum abit, excitata verba in nexu cum reliquis si legimus. Scilicet in antecedenti §pho, quid intuitu caducorum velit, edixerat *IUSTINIANVS*, cum vero haec non adita hereditate suboriantur, nisi quis vel ex singulari beneficio transmissionis iure gaudeat, varia de transmissionibus non aditae hereditatis immiscet. Hac occasione quaestionem mouet: an libertates exigi possint ab instituto, intra tempus deliberandi, vel ab eo ad quem transmissa quidem hereditas, qui tamen, an eam adire velit, nondum declarauit: hancque motam quaestionem citatis verbis negatiue decidit; dum inquit: libertates, sui natura heredis aditionem expectantes, non praestari posse, nisi certum sit, an aliquis hereditatem subierit. Optime igitur verba cohaerent, resque mea salua est. Notes tamen velim intellexisse fideicommissarias hereditates, quarum dies ab adita cedit hereditate; hoc si tibi non placet, initio §phi *ANCIVM* fecisse nugas, statuas necesse est. Deinde vero egregie erras si verba: adita hereditate, vniue ad aditionem ex testamento refers, cuiuscunque potius declarationem, sicque & legitimorum & fisci procuratoris, quibus ex hac lege successio deferretur, comprehendunt. Nullibi in tota lege restrinxit Imperator verba ad aditionem ex testamento, neque poterat, sanam si vellet edere constitutionem. Si porro contrarium admittis, libertatum causam reliquis deteriore facis, cum ea tamen summo fauore gaudeat; atqui reliqua onera exacte praestanda esse probaui, eo fauore non exornata, ergo magis in libertatibus admittendum est. Vltimo tandem loco obiici possent: frustra emendasse Iustinianum Diui Marci constitutionem eamque, qua fecit, legem nunc esse superfluam, cum si libertates iam ex testamento praestentur destituto, additione earum conseruandarum ergo inuenta, opus non sit. Sed *IUSTINIANI* constitutio per hanc legem non sublata, & adhuc applicari potest. Eo enim, vt legitimos successores, ad caducam hereditatem benigne admi-

se-

ferit Imperator, si testamento disposita adimpleant, illos ad additionem celebrandam non coëgit, sed cuique, an subire velit hereditatem, an non, reliquit. Quodsi igitur sub ista succedere nolit conditione, ipseque fiscus bona negligat cedatque creditoribus, constitutioni D. MARCI locus omnino erit, et aut fiscus aut alius, ut sibi addicantur bona, curare, et destitutam testatoris voluntatem, intuitu libertatum adimplere potest.

§. XL.

Depulsis igitur dubiis, accedamus ad id, cuius gratia legis interpretatio suscepra, ad vires scilicet, quas huius legis beneficio testamentum destitutum accepit. IUSTINIANVM vero de illo verba fecisse, extra dubitationis aleam positum, probaturque facillimum. Absoluit vtrumque casum quo testamentum destitutum dici meretur, et eum ubi per repudiationem emolumentum, ex parte tale nominari posset, et eum quo institutus solidam non adiit hereditatem, et ubi vere destituti nomine venit. Cum tamen et in priori specie a ratione non abhorreat heredem ex parte testamentum destituisse, doctrinae gratia, ad inveniendam testamenti vim id adoprari. Accrescit heredibus beneficio legis pars vacua, sed accrescit cum onere a testatore imposto, abs lucrum percipiente, prout consignatum exacte implendum, nisi ipsius natura obsit. Quod igitur institutum olim sequebatur, nunc indiuiso nexu cum emolumento coniunctum, ad quemcunque commodum sentientem transit, cum antea cohaeredes benigna ex interpretatione voluntatis testatoris, neue ut CICERO ^{b)} ait: *vnus pecuniae plures dissimilibus de causis heredes sint, et eiusdem pecuniae alius testamento alius lege heres esset; admitterentur.* Sed ad testamentum vere destitutum veniendum. De hoc Imperatorem disposuisse, testantur verba; *si quis solidam*

1107

^{b)} de Inuention. Lib. II. cap. 17.

non adierit hereditatem ²⁾ - - habes tunc omni ex parte testamentum desertum, solida enim hereditas eadem est ac indiuisa, integra, ³⁾ siue ubi vnus in testamento heres scriptus est, qui vel omisit, vel adire non potuit hereditatem. Hanc recte me caducam dixisse, probatione vix indiget, cum caducorum elogio omnia complexus est Imp., quae post mortem testatoris deficiunt, ⁴⁾ quibus certe solidam hereditatem non exclusit. Ita destituto testamento legem nostram vim tribuisse, arbitror. Prout enim probatum dedi, omnes ad quos hereditatis lucrum peruenit, substitutus, legitimi, & fiscus, grauamina suscipere debent illis adscripta, qui ex testatoris voluntate, partem vel solidum accipiunt. Haec autem grauamina alia esse non possunt, quam quae in testamento consignata, satis accurate ab Imperatore descripta: de illis enim quae hereditati inhaerent quaestio suboriri nequit. Si igitur testamento destituto plane nulla tribuenda sit vis, si omnem omnino effectum ei denegare vellemus, qua quaeso ratione legitimos ad implendas praestationes cogere potuisset? Omitto substitutum ab Imperatore, non alia conditione ac si omnia praestare velit ad aditionem admissum, quum eo in casu nondum adsit testamentum destitutum (§. VII.), omitto cohaeredes, solosque legitimos considero; ex nulla profecto causa hi obligati sunt, ac quoniam defuncto in testamento placuit, lucrum percipienti ea imponere onera. Nisi destitutum testamentum vim haberet, quare tam exacte modum praestandi determinare fuisset opus? quare ne latum quidem vnguem a voluntate discedere permisisset? Num credis forsitan id vnus accrescendi iuris inter cohaeredes gratia scriptum esse? Nil sane minus; integram legem adspiciendam, eaque coniungenda esse, quae connubio idearum distractus auctor, in alium con-

²⁾ §. 13. *nostr. leg.*

³⁾ *L. s. C. de fidec. libert.*

⁴⁾ §. 2. *in f. leg. nostr.*

coniecit locum, quaeque ipse coniungi voluit probauit, (§. XXXVII.) dedique ipsum Augustum hoc in omnibus, & expresse in caducis obseruari iussisse ^{m)}. Frustra obiicis, memet ipsum adfirmasse, non attendi voluntatem defuncti in casu si praestatio instituti personam egredi nequeat. Tunc enim non quod testamentum destitutum, sed quoniam natura obsistit, onus non praestatur, ceu exempla docent. Neque opinio mea aequitati contraria est, si cui euertendae hereseos causa, ad illam prouocare placeat: quid enim, si testator legitimos instituisset, sed grauaminibus onerasset? quid si codicillis varia iis imposuisset? nonne eodem modo ad subeunda omnia essent obligati, si lucrum percipere vellent? cum paterfamilias honoratum onerare quoque possit. Sic & hac ratione firmatur potius quam debilitatur mea causa. Hi ergo legitimi successores praestant onera commodis si frui volunt, non alia ex ratione, quam quod in testamento herede licet destituti tabulis cerisue scripta sint, & id vim illius elogi nominare, nullus dubitauit.

§. XLI.

Progredior ad fisci causam. Vidimus Imperatorem illum, ad praestanda in testamento disposita, obligasse, vtilitatem communem commodo rei priuatae praeferens. Iam si hoc verum est, ceu satis probasse puto, vires magis adhuc eminent. Missa inter eruditos agitata lite, an fiscus heredis loco sit, an minus, illum bona tamquam *αλληλονομια* et *αδελφοτητα* accipere, credo. Iam si fiscus tenetur ad praestationem onerum, vel fit quoniam hereditatem tamquam vacantem occupauit, vel quod testamenti destituti tabulae existunt, in quibus praestanda consignata sunt. Prius aperte rationi aduersatur, posterius ergo admittatur necesse est,

^{m)} §. 9. leg. *nostrae*.

est, idemque CHIFLETIVM ⁿ⁾, CONANVM ^{o)}, FACHINAE-
VM ^{p)}, HILLIGERVVM ^{q)}, STRYCKIVM ^{r)} aliosue defendentes,
inuenio, et mecum conuenientes fiscum ad praestanda legata esse
obligatum, licet istud phaenomenon vim testamenti non nomina-
uerint. Nisi enim ob testamentum esset, fiscus tantum ea quae ve-
lit praestare posset, at Imp. perhibet praecipitque exacte adim-
plere voluntatem defuncti, prout heres scriptus, siue impeditus
siue aditionem negligens, fuisset obligatus, modo grauaminum
natura & conditio non obest. Testamenti desituti tabulae heic
vt vbique normae sunt, ex quibus, quomodo voluntas defuncti
implenda, diiudicandum, adeoque magna gaudent vi, benefi-
cio legis Iustiniani nisi prima vice, denuo tamen accepta.

§. XLII.

Ad vltimam tandem IUSTINIANI nostro de argumen-
to conditam legem peruenio, scilicet Nouellam constitutionem
primam vt collatio atque subscriptio ostendit ^{s)}. Equidem a

K 2

multis

n) *De iure fideicommissor. Lib. IV. cap. 1.*

o) *Commentarior. iur. civil. L. III. cap. vlt. n. 7.*

p) *Controuersiar. iur. L. VI. c. 22.*

q) *Donell, enuclear. Lib. VII. c. 20. n. C.*

r) *De successor. ab intestat. disp. V. cap. 1. §. 51.*

s) Ita scilicet in Charondin. & aliis legitur subscriptio; *Dar. Kal. Ian. Constantin. Fl. Bilisario V. C. Coss. indictione decima tertia*, adeoque A. p. C. N. 535. cf. *Ant. CONTI chronolog. annor. consul. & indiction. Imp. Iustini-*

an. ad ann. 535. Solus enim BELISARIVS fasces tenuit, *Petro RELANDO in fast. consular. p. 712.* praesertim ex *Chron. Alexandrin. & Fast. Flor. minor.* vbi Βελισαριος μοις inuenitur, momente. In occidente vero nullus hoc anno consul, ideoque numerabant eius ciues post Consulatum PAVLINI junior. Sed in aliis editionibus praesertim Antistelaedamens. minor. inueni adpositum annum 539. non in hac solum Nouella, sed & in aliis, quae eodem datae sunt anno, v. c. Nou. IV. cum in reliquis feruent ann. 535. Nostrae igitur Nouellae subscriptionem sphalmate typographico

multis illam inueni explicatam, non ita tamen vt eorum diligentiam in meas conuertere queam partes, cum vel de destituto testamento loqui plane pernegent, vel si hoc non faciant omnia non exhauriant. Periculum igitur faciam ostendere; & nisi mathematicorum certitudine, summa tamen probabilis specie adferre, Imperatorem de nostro casu aliquid sanxisse. Quod vt rite fiat, pauca de legis historia praemittenda sunt. Statum imperii publicum breuibus delineare in praefatione, & memoratu laudeque digna celebrare, auctor non omisit, mihiq; perinde est, siue adulationi, siue nobis haud inopinatae arrogantiae, siue tandem moribus Orientalium tribuere velis. Recensuit populos diuersos armis domitos, vel alio modo romanorum sceptro subiectos, nobisque concludere relinquit, quod, licet vbiq; quietum nondum redditum sit imperium, rempublicam Constantinopolitanam tamen pace frui, neque externas turbas *νομοθεσίαν* impedire ^{r)}. Neque bella obfuisse, quominus FLAVIVS subditorum que-

corruptam puto, inde forsan descendens quod in IX. anno Imperii Iustiniani sancita sit. Ceterum adeo foecundus fuit hic annus in legibus condendis, vt praeter nostram constitutionem adhuc alias *νεκρὰς διατάξεις* ediderit FLAVIVS; in quarum numero haud conueniunt Interpretes, cum alii vt BALDVINVS in *Iustinian.* p. 380. XI. fuisse adfirmet maxime in fauorem Orientis, cum Occidentem varia occuparent aduersa, datae, alii vt CONTIVS loc. allegat. RELAND. cit. loc. HOFMANN *hystor. iur. T. I. p. 605.* multo plures agnoscant.

r) Persas conquiescentes dicit: Etenim pax aeterna cum rege eorum CHOSROË

homine auaro, rapido & IUSTINIANO maxime inlenso, omnem occasionem arripiente Nostro damnum inferendi, anno Aer. Chr. 533. principatus IUSTINIANI VII. conclusa erat. PROCOPI. *de bell. Persic.* I, 22. I. P. de LUDWIG *vita IUSTINIAN.* C. VIII. §. 61. n. 341. Stolidissimas ille CHOSROES proferre solebat belli rationes, quorsum sine dubio ea pertinet, quod FLAVIVS orbis dominatum adfestaret, & cum in Africa & Italia triumphauerit, penitus dein Persas extirparet: his, eiusque farinae aliis, temere pacis vincula anno 540 fregit, & denuo bello Iustinianum agressus est, quod tamen VI annis finitus, est sedatum.

Van-

querimonias audiret, quibus motus, cum vniuersae reip. curae illum occuparent, parum nihil eligens, singulis potius competentem formam dare studebat. Et datam fidem omnino liberauit, varioque modo hac sacratissima lege, querelis ex heredum importunis moribus ortis, finem inposuit. Videtur autem nouella constitutio in Orientis praesertim gratiam data, cum ille bellis nec distraheretur, quibus in Occidente prouinciae erant obnoxiae; forsân & ideo fisci causam adhuc magis neglexit; sed hanc leuem coniecturam omitto. His absolutis grammatica interpretatione difficiliora quae in L. obueniunt, verba, iam essent explicanda, ea tamen in ipsa sententiae expositione sedulo notabo, quo faciliori negotio sensus erui queat. u).

K 3

§. XLIII.

Vandalicum vero bellum cum tyranno GILIMERO, qui, fratri HILDERICHO amico Nostri, ereptum regnum, admodum restituere negabat, vno anno Belisarius finiuit scilicet anno 533. quare & IUSTINIANVS, iam eodem anno, in praecem. Institutionum & in Constitutian. ad senatum omnesque populos, Deo pro tali beneficio gratias egit. Gothos vero omisit, quoniam se iam praeparasse videtur ad bellum cum iis suscipiendum, quod alii vt Fr. BALDUINVS in *Justiniano* p. 380. in hunc annum, alii vt I. P. de LUDEWIG in *Justinian.* p. 420. in annum 540 coniciunt.

u) Superfluum hanc interpretationem forsân putas, futillaeque dicis argumenta ex verborum proprietate desuma, nullamque veritatis speciem inde consequi meam interpretationem, cum ne quidem ipse IUSTINIANVS verba elegerit, ea

que igitur de eius voluntate nullum prohibere possent testimonium, sed ex versione esse, cum ipse adfirmauerim in fauorem Orientis perscriptam esse legem. At vero, 1) Si ita procedere cupis, grammaticae interpretationi omne auxilium in explicandis Nouellis deneges necesse est, cum de pluribus id valeat. 2) Non constat an lex nostra graece sit perscripta, imo latinam fuisse magis existimandam, quamquam concedam in Orientis fauorem esse datam; posterius enim ultra coniecturam haud venditavi, & perbene cum praesenti opinione consistere potest, cum per multas inueniamus latinas IUSTINIANI constitutiones in orientis fauorem datas. Vix deinde putandum, primam Nouellam constitutionem graeco scripsisse idiomate, cum paulo antea, omnes iuris libros nomine suo exornatos latine scribi iusserit. 3) Libri *Βασιλικων* quibus Lib.

XLI.

Difficiliorem aggredior laborem, Nouellam constitutionem de testamenti destituto loqui viribus; demonstraturus. Vni- ce legis verbis inhaerens; non cogito quid alii commentati sint; cum; vt in proxime antecedentis legis explicatione feci, neminem me aliter sentientem errore aut vitio arguam, id tantum agens; vt qualemcumque opinionem exponam, probem, defendam. Largior Flauium nec in *ἐπιγραφή* legis, nec in nigro illius directe de testamento destituto disposuisse, eoque illorum dubiis in antecessum obuiam eo, qui ceteroquin haud inutile, ex rubro nigrum interpretandi artificium, hic applicare volunt, meamque explicationem inauditam condemnant, quod nihil in inscriptione ^{*)}, nihil in praefatione de testamento destituto, inueni-

XLL T. 4, haec Nouella teste I. Fr. HOMBERGIO zu VACH in *Versjon nou. Nouellar ad rubr. Nouell. 1. nor. 2.* inserta est, aliam saepe seruant lectionem sedulo a laudato HOMBERGIO notatam, ex quo quidem deducere vellem, sam cum aliis libris iuris Iustinianei ex latino idiomate in graecum esse transcriptam. Tanti enim variantes lectiones non videntur esse momenti, vt Auctores *Βασικων* hanc legem mutare voluerint, ideoque superfluous labor fuisset graecas IUSTINIANI leges, iterum graecas reddere. Tandem 4) quod praecipuum videtur, in Germania foris non graecam sed latinam sequimur lectionem, vel maxime quoque discedentem a graeca, cum latinum in Germania sit receptum idioma, quod ergo, siue ab homine Graeco, quem CVIACI

vs eruditum *Lib. VIII. Obs. 20.* MOLINAEVS de *Vsur. qu. 1. n. 67.* latinismi imperitam, appellauit, siue ab alio sit compositum, tamquam ab IUSTINIANO scriptum applicandum.

*) Mirè contendunt interpretes quae sit vera legis inscriptio, & in variis Nouellarum editionibus varie legi solet. Aliis placet consueta de heredibus & Falcidia displicet aliis, quoniam non omnia comprehendit; cfr. Fr. HOMBERG *Versj. Nouell. I. nor. 2.* Quodsi vero inscriptionis virtus sit ea, vt breuissimis comprehendat, quae in tota lege continentur, vt vno quasi oculo sententia percipi queat, nec ipsa Nouellae longissima, quae est *de heredibus & falcidia*, admittenda esset. Vbinam enim, reliqua manerent capita? vbi de legatis & in-

ueniant. Repeto clara non adesse verba, ideo tamen non adfirmandum, quod ii sibi persuadent, sed potuisse Imperatorem imo & debuisse ad testamenti huius conditionem respicere iam probare volumus. Potuisse inde adparebit, quod tam in genere promittat, variis modis subditis querentibus auxilium suppeditare, legibusue salutaribus illis succurrere, quam in specie ratione testamentorum repetit, modeste dicens se reparare velle leges antiquiores, cum neglectas videret, vere tamen nouam sanciuit 1). Cum vero, licet potuerit, fecerit, nondum sequatur, id potius videamus. Principia igitur ex quibus legem condidit nostram prae omnibus eruamus legisque verbis firmemus. Duplex reperio: alterum iam olim firmum, eum scilicet ad quem lucrum peruenit ad onera cum eo coniuncta suscipienda esse obligatum 2). Alterum vero quod prius reddit firmitus eumque in finem

inuentario disposita? Neque enim puto omnibus placere rationem J. C. VIACII in *Expos. Nou. I.* & Fr. BALDUINI in *Justiniano p. 531.* legem praecipue de heredibus atque falcidia disponere. Quod enim plura de heredibus disposita sint, eam opinionem non probat, quippe tunc magis de heredibus dicenda, cum capite primo & longissimo de illis agatur. Ego vero ad inscriptionem istam potius argumentum non respicerem, cum mihi persuadere nequeam IUSTINIANVM illius esse auctorem, licet & in graeco idiomate inueniatur. Quem enim in finem istam excogitasset? forsan ut ciues facilius modo ab aliis Nouellis hanc discernere possent? sed nondum aderant aliae vid. §. 42. not. f. nec in vnum corpus ab ipso redactas esse, probari potest. Quae cum ita sint ab aliis esse factas vero

simillimum, quibus gratias agimus pro suscepto labore, in interpretatione tamen inutili.

1) Haec igitur verbum, reparare non tam significat reuocare, quam potius parare. Vtteriorem significatum in libris Iuris usurpatum inuenimus ceu ex Fr. DVARENO lib. I. Disputat. notauit BRISONIVS de P. S. h. v. quod apprime conuenit. Proinde praefaminis sententia esset, se legem de causis hereditariis dubitationibus vexatis parare velle. Misquit igitur sanctiones de heredibus importunis, falcidia, legatis & inuentario, ideoque nihil absurdi inuolueri videretur si & de testamento destituto disposuit, cum eius causa utique ad hereditarias pertineat.

2) Per explicat. *Leg. vn. C. de Caduc. rollend.*

nem excogitatum videtur, audit: Competentes deficientium voluntates, in quantum legibus contrariae non sunt, omnibus modis exitum habent. Primum cum supra iam satis expositum fit, atque ordo modusue quibus onera sunt praestanda probatus, ulteriori non eget disquisitione. Alterum vero probandum erit, Primo quidem illud necesse erat, cum alias, nisi defuncti voluntate, ceteroquin legitima, pro norma sumpta, onus, ab ipso emolumentis relictis impositum, cognitum non esset, nec adeo prout illi placuerit obseruari & impleri posset, ideoque iam in priori principio huius ratio latebat. Ne tamen executorum prava interpretatio, dum supplicantibus fauet, plerumque, ut SYMMACHVS ^{a)} ait, iussa corumpens, & hic fraudes excogitet ipsi legi voluntatem diuus illius Auctor inferere voluit. *Vnica, eum in finem edixit, unica est legis intentio, ut quae disposita sunt a morientibus impleantur* ^{b)}, & iterum: *cum utique a veteribus legislatoribus dictum sit competentes deficientium dispositiones, quaecumque non repugnant legibus omnibus modis impleri* ^{c)}. — Haec ergo principia tamquam notiones directrices adoptemus necesse est: his ducibus lata lex interpretanda. Quo apertiora autem fiant paulo curatius verba erunt indaganda. Ait Imperator; competentes voluntates sunt implendae. Hanc voluntatum descriptionem nobis esse contrari-defendi posset, non intellecta vi atque potestate verborum, ideo nimirum testamenta destituta ad implendas non pertinere voluntates, quoniam competentes non sint, sed imperfectae dicantur, legibusue contrariae. Frustra. Competentem deficientium voluntatem eam Imperator appellauit, quae disposita continet legibus non contraria, dum non solum bonis moribus salutique publicae non aduersantur, quae iam perinde habentur ac si adiecta non essent ^{d)} sed & ita consignata prout legum rationes exigunt.

Vtrum-

^{a)} Lib. X. Ep. 63.

^{b)} Leg. nostr. Cap. I. §. 4.

^{c)} Praef. §. 1.

^{d)} L. 14. ff. de cond. instir..

Virumque per verba mox sequentia: *quaecunque legibus non repugnant, & quae recte voluerunt testatores* e) exprimere cogitavit. Materialiter enim & formaliter vltima in voluntate scripta legibus contraria esse possunt. Breuib; Imperator seruare voluit voluntates deficientium, quoad formam internam & externam, omnibus modis absolutas, cum nec in hac nec in illa contra leges peccauerit auctor, repertas. Ita vero testamentum destitutum sit comparatum necesse est; nullum enim nisi ab initio perfectum testamentum destitui potest, cum si quid ei deficiat, vt per se validum non sit, nec heredis aditione confirmetur, nec omissione illius destituatur. Hoc igitur cum permulti negligant; desertum elogium ad incompetentes numerant voluntates; pertinere quodammodo ad imperfecta testamenta, numquam inficias ibo, permultumque illi deficere, heredem scilicet institutum: quo nulla persona, vt eleganter CICEROS), vicem eius qui e vita migravit propius accedit. Verbum autem *impleri* alium significatum, ac plerumque habere solet, hic sibi vindicat, in sensu passiuo accepto significat, effectum suum sortiri, vt testatur BRISSONIVS g), quo sensu saepius a ICtis vsurpari solet.

§. XLIV.

Ne tamen solum verborum aucupium instituisse videar, licet a proprietate permultum pendeat, colophonem hic impono, meque ad probationem: Imperatorem de testamento destituto loqui, conuerto. Supra dixi, non aperte decidere huius testamenti speciem, & recte; nam cum duplici modo institutus heres testatoris voluntatem ad effectum, non perducere queat, altero si hereditatem adiit, & frustra admonitus imposita non praestat, alte-

ro

e) Cap. 1. §. 1.

f) De legibus Lib. II. c. 19.

g) De verbor. significat. verb. impler. not. 2.

L

ro si nequidem adit hereditatem, duplicem quoque speciem prae oculis habuit Augustus. Vtroque vero in casu, competentem voluntatem seruare vult, modo quod de priori casu clare, de posteriori non ita disponat, sed interpreti, eadem quae de prima constituerit specie ad alteram applicare relinquat, quo non obseruato, ad priorem tantum respicere solent interpretes, de ea duntaxat legem sancire existimantes. Sed de altera specie, scilicet vbi institutus hereditatem non adiit, loqui, adhuc probandum est. Primo quidem diuersis in locis hereditatis adeundae mentionem facit, quod de alia, ac non adita intelligi nequit: Ait nimirum – *Si heredes – non adeant hereditatem* ^{b)} – *Si vero nullus horum quorum testamentum mentionem fecit voluit adire* – ^{c)}. Ita de cetero – *adire* & *quae relicta sunt implere* ^{k)}. – *Vt detur licentia aditionis* – ^{l)}. Sic quoque *seruis* – – & *adire* – – ^{m)} *ut non remaneat sine aditione morientis hereditas* ⁿ⁾ – – *Damus omnibus talibus licentiam* & *aditionis* & *pro herede gestionis* ^{o)} – Et adhuc pluribus in locis. Natura aditionis hereditatis requirit, vt ipsa iacens sit, sicque nullus adhuc declarauerit, an onera cum commodis suscipere velit, ea autem facta, vt non conceditur restitutio (§. VI.), ita nec repetitio cogitari potest. Iam vero in nostra lege, nil de adita, & ex in integrum restitutione iterum repudiata hereditate, reperitur, sed Imperator simpliciter tantum verba fecit de aditione, quibusdam personis, eam celebrandi, facultate tributa. Iacens igitur sit ea hereditas necesse est, eius autem indolis esse nequit, nisi non adita, nec ergo si heres morosus sit, post aditionem. Si itaque haec de eo tantum casu intelligere velimus, vbi heres in adimplenda testatoris voluntate negligens

b) *Leg. nostr. cap. 1. §. 1.*c) *ibid.*k) *ibid.*l) *ibid.*m) *ibid.*n) *Leg. nostr. c. 1. §. 2.*o) *Cap. 1. §. 4.*

fuert, non perspicendum, quo iure auctor adeo saepius verbo adire, vti potuisset, & aliis personis adhuc ius aditionis tribueret. Etenim si & heredem morosum fingamus, ille tamen adierit necesse est, quum alias heres non sit, atque per ipsius aditionem hereditas iacens esse desinat, & iterum adire nequeat, frustra largitus esset Imperator hanc facultatem. Neque mihi persuadere possum, portionem moroso ereptam, tamquam hereditatem non nisi cum aditione reliquis adsignasse. Fingamus etiam morosum, fingamus ereptum emolumentum, illud tamen hereditatis nomine nullo iure designari potest: nam aut defuncti testatoris esse deberet hereditas, aut heredis importuni; posterius nemo forte statuet, quum viuentis non detur hereditas; prius vero aequae minus procedit, cum facta ab instituto aditione non amplius existat hereditas. Quae cum ita se habeant, nouellae auctorem vel ignorasse prima iuris principia, vel in illis, de quibus omnia fere pendent, maxime improprie esse locutum, vel denique testamenti destituti causam simul prae oculis habuisse, statuendum erit. Et hoc vltimum adfirmandum est, cum priora aequitati sint contraria; Tribonianum enim vim aditionis & adire hereditatem ignorasse, nec quisquam, summus licet huius Viri infensor, sibi persuadebit. Eum vero tam saepius improprie esse locutum, nisi ex profligata modo ratione, quod ex ignorantia melius loqui non potuisset, numquam existimandum.

§. XLV.

Sed aliae adsunt rationes, ex quibus defendi potest, loqui Auctorem de testamento destituto. Principia enim deseruisset semel adoptata, nisi ad destituti testamenti causam respexisset: certissimum enim, heredem testatoris voluntatem adimplere non posse, tam si adita hereditate non adimplet competentem voluntatem, quam si eam adire plane negligit. Iam vero vnica legis



intentio est, vt *quae disposita sunt a morientibus impleantur*, hanc ergo numquam esset consecutus, nisi determinasset, an non adita hereditate, perinde ac si non scripta sit vltima voluntas habeatur, an vero, ceu puto, contrarium obtineat. Multis autem de hereditate non adita iam constitutis, nihil superesse videbatur ac eos, ad quos emolumenta perueniunt arctiores constringere, si nihilominus importuni, res indeuote percipiunt, & quod impostum non faciunt *7)*. Hoc & praesenti fecit lege, qua simul ordinem quo deuoluitur successio, nouo quasi modo determinauit, applicatis de herede moroso sancitis, cum in pari causa versentur. Huius ergo constitutionis vtilitas atque necessitas luculenter pater, nostrae opinioni vero sententia aduersa, *IUSTINIANVM* stupiditatis accusat. Nam si in genere competentes deficientium voluntates, qualis & destituta est (§. XLIII.), seruare voluit, huic quoque vim tribuerit necesse est. Effecit autem hoc artificio, vt a testatore legitime disposita, ab illis, qui hereditatem, ab instituto omisam, consecuti sunt, facta eum in finem cautione, praestentur. Hereditatis igitur aditio ab instituto celebrata, nouo iure hac tantum vi gaudere videtur, vt institutus, qui per eam, se velle heredem esse, declarauit, ad omnia implenda sit obligatus, non autem vt omnis testamenti vis ab ea pendeat *7)*: quemadmodum vero hic, ita omnes, ad emolumenta percipienda vocati, se ad onera suscipienda, cautionis adhuc praestatione adhibita, obligant.

§. XLVI.

Dixit porro *IUSTINIANVS*: se velle efficere, *ne demortui hereditas sine aditione remaneat 7)*. Haec verba, aut absque

ra-

p) Nouel. 1. praef. §. 1.

q) Simile quid in testamento querela officiosi rescisso post Nouellam 115.

inuenimus, vbi sublata heredis institutione, reliqua salua manent.

r) Leg. nostr. c. 1. §. 3.

ratione posita, nil dicere, vanam dispositionem comprehendere, debent; aut demonstrare, hanc quoque Nouellam ad testamentum destitutum pertinere. Prius admittere, contra interpretis officium, & non licet, nisi apertissime constat: quamuis enim IVSTINIANVS factum saepius affectauerit, imo in ipsis Legibus sibi adscripserit quaedam, quae iam antea erant constituta, vt longas enarrationes rerum gestarum, laudesque ob curam in rempublicam sibi ipsi tributas, silentio praetermittam; nec vola tamen nec vestigium causae adest, cuius gratia & hic fecisse, existimandum. Simpliciter eas personas enarrat quas antea sub cautione, de adimplenda voluntate, ad hereditatem vocauerat, & tunc verba excitata addit. Quo pacto vero sine aditione defuncti hereditas manere possit, ab instituto neglecta, nisi in lege enunciatas personis facultatem adeundi tribuisset? Nam de eo quod heredi ereptum verba intelligere vix patitur sensus, quasi nimirum impedire voluerit Imperator, quo minus caducum fiat: quod enim heredi eripitur, hereditatis nomine venire nequit (§. XLIV.); & eo, vt illud fisco non statim inferatur, hereditatem sine aditione manere adfirmari nequit, cum heres morosus aditione, heres sit factus, & maneat; nam si decies iterum eripiatur hereditas, testamentum destitutum non fit. Quamobrem nec illud argumentum admittendum est, quod morosi nunc heredis aditio, pro non facta habeatur, ideoque denuo & a quocunque celebrari queat. Mutauit tantum, & contra iuris antiqui principia induxit FLAVIVS, quod adita ab instituto iterumque erepta hereditate nihilominus substitutus succedat, adeoque substitutio, per aditionem, vim suam non amittat.

§. XLVII.

His praeeordinatis ad ipsam veniamus dispositionem, & quid noui statuerit videamus. Inueniemus autem neglecta fisci

L 3

cau-

causa, testatoris voluntatem maxime aestumasse: & aliter ex principiis agere non poterat, quibus tribuendum censeo, quod heredes legitimos magis adhuc remouerit, praelatis aliis personis, cum intelligeret, testatorem eos testamento suo non exclusisse, si amasset. Omnibus igitur honoratis exacta accurataque voluntatis obseruatione iniuncta, modum quo deuoluitur successio determinat. Fac igitur institutum frustra admonitum se declarare nolle, an heres fieri velit, an non, hacque supina negligentia legatariis aliisque in testamento honoratis emolumenta denegare, tunc ita est, ac si adita hereditate praestations haud adimpleret. Sed hunc casum contingere non posse, forte quis putet, cum nemo adeo stolidus sit, ut eam ob causam, ne legatarii alique relictum a defuncto capiant, hereditatem omitrat. Sed apposite ait VLPPIANVS ¹⁾: *Variae sunt hominum voluntates, quorundam negotia timentium, quorundam vexationem, quorundam aeris alieni cumulum, tamen si locuples videatur hereditas; quorundam offensas vel inuidiam.* Nihil igitur obest, quo minus & hanc ob causam aditionem detrectet, ne dicam id adhuc facilius fieri posse, ob prohibitam Falcidiaae detractionem validam. Neque melioris conditionis dubium est, ut institutus ad adeundam hereditatem cogatur ex mea sententia sequi: omnium minime; licet & hoc adeo singulare non sit, ²⁾ nam si ei, quorum interest, ut sciant instituti voluntatem, declarationem, implorato officio iudicis, exigunt, ad aditionem eum non cogunt. Sed redeamus ad ordinem praescriptum: distinxit Imperator, an reliquerit defunctus legitimum heredem cui portio legitima debetur, an non; & in priori casu, an eum instituerit, an rite & non iniuste exheredauerit. Si posterius herede instituto non aduente, nihilominus salua manet exheredatio, neque exheredatus ad successionem vocatur, licet decies mil-

¹⁾ L. 4. D. ad Scrum Trebellian.

²⁾ Cfr. Gasp. SCHIFODEGHER, ad Anton. FABR. L. III. Tr. 8. qu. 7.

millies, ceu verba legis audiunt, velit *n*). Cum enim principium esset, restantis voluntatem exactissime seruandam esse, aliter nunc disponi non poterat. Iustitiam dispositionis his quoque defendit verbis: *eum enim qui ab ipso testatore propria substantia pulsus, quomodo erit iustum vocare ad res, quarum eum ille per exheredationem factam in eum, expressim fieri participem noluit* *x*). Aliter ergo se res iamiam habet ac olim, vbi TRYPHONINVS *y*) contrarium statuit. Contra si prius reperitur, si scilicet is, cui legitima debetur institutus quidem, sed in adeunda hereditate implendaque voluntate negligens; saluam quidem retinet portionem legitimam, quartam nimirum ab intestato partem, *z*) reliqua vero, hereditatem defuncti quae conficiunt, deuoluuntur mox recensendo ordine *a*). Debitum igitur bonorum subsidium tali eripere noluit Iustinianus, de quo varias causas, inprimis eam, quoniam Imperator, natura illi debere, dixerit, adducunt *b*), ego putarem, quoniam instituto iuris ex necessitate competat, & ille nullum dederit iustam exheredandi causam.

§. XLVIII.

Ita si necessarii instituti vel exheredati, progredior ad reliquos, quibuscum, deductis modo explicatis, & illi conueniunt. Si enim hereditatem non adeunt, videndum an substitutum habeant, an non. Si prius substitutus reliquis praefertur,

fi

n) *Leg. nostr. Cap. 1. §. 4.*

x) *citat. §. 4.*

y) *L. 20. D. de B. P. contr. T.*

z) Loquitur ex iure sui temporis, quibus adhuc portio legitima quarta pars bonorum ab intestato erat. Hodie vero post Nouellam XVIII. triens esset si vnus alterue necessariorum adesset & aditionem ex testamento recusaret, & semis foret,

si quidem quinque aut plures instituti, sed omnes testamentum destituerent. Malui tamen ius antiquum heic retinere ne *αυτεξουσιμος* comitatur.

a) *Leg. nostr. Cap. 1. §. 1.*

b) *Gasp. SCHIFFORDEGHER cit. loc. Lib. III. Tr. VIII. qu. 1. p. 91. Fr. BALDUIN in Justinian. p. 385.*

si possit atque velit hereditatem adire, in eo tamen id singulare deprehendo, quod licet sit institutus tamen, praestare debeat cautionem *c*). Eo autem non adeunte vel impedito, succedunt coheredes primi instituti, si adsunt, itidem praestita cautione, de implenda defuncti voluntate *d*). Nec his existentibus, aut reculantibus adeoque testamento omni ex parte destituto, nunc, forte ex praesumpta testatoris voluntate, fideicommissariis vniuersalibus praebuit facultatem adeundi, sibi que satisfaciendi, & quidem praelato primo loco nominato: hocque deficiente aut nolente, eo cui maxima portio adsignata. Ratio huius singularis constitutionis a legislatore ipso suppeditata: *quoniam in similitudinem heredis consistit*, siue ut HOMBERGIVS *e*) vertit: *quia instar heredis est*. Hoc omnino antiqui iuris placitis contrarium esse videtur, pendentem a fiducia instituti, ipsum heredem fieri & vario modo eam ob causam acutus ICTUS Gasp. SCHIEFORDEGHERVVS *f*) IVSTINIANVM taxauit, in cuius tamen refutatione & FLAVII defensione non moramur, cum nostri non sit de legibus iudicare. Imperator Ipse, quasi ex diuinatione, se excusare voluit: *Haec quidem*, inquit, *antiquissimae leges ex propria auctoritate praestabant, & heredes faciebant eos, qui neque scripti heredes neque ab intestato ad hereditatem vocabantur g*), licet id facile probari non potuisset. Sed ita placuit illi, principiis inhaerens declaratamque testantis voluntatem seruans. Fideicommissarios vniuersales excipiunt legatarii & fideicommissio singulari honorati, eodem modo ut maxima parte instituti reliquos excludant. Tandem veniunt libertate in testamento destituto donati secundum ordinem denominationis, per quam eos dominus denominauit, & adeuntes hereditatem libertatemque consequuntur. Sic omnibus vocatis qui
in

c) Cap. I. §. 3.

d) Cap. II. §. 1.

e) In nou. Verf. Nouell. pag. II.

f) ad Anton Fabr. Lib. III. Tr. XIX. qu. 19.

g) Cap. I. §. 4. extr.

in testamento nominari queunt, ad successores legitimos venit Imperator, si priorum nemo vel adest, vel adire cupit. Eos vero legitimos vocat, qui praeter exheredatum, eumque qui retenta legitima portione, reliquae hereditatis aditionem recusavit, supersunt. Ita quidem intelligo verba paulo obscura — *tunc ad alios quos lex ab intestato vocat, post eum quidem qui scriptus est, & legitima per hanc legem parte exclusus* ^{b)} quam interpretationem illustrant, probamque reddunt, & versio HOMBERGII ^{d)}, & paulo sequentia, ubi ait: se vocare, *primum post eum qui iam exclusus est a lege nostra* — non alia ex ratione, nisi quod decessoris elogium frivole spreuit, & heres ex testamento fieri noluit. Iam igitur tandem sibi vindicat successio ab intestato locum, in qua, ut puto, gradus proximitas attenditur, iis tamen qui ex iuris titulo succedunt non exclusis. Forsan id sequentia indicant verba; *sed primus secundum ordinem* — *deinde qui post illum est, ita de caetero donec ultimus relictus locum faciat etiam alicui exterius venientium.* Nam & extraneis nunc facultatem adeundi hereditatem implendique testatoris voluntatem dedit: Quo non reperto, fiscus, si voluerit, positus. Adeo enim huius causa mutata est, ut quem olim primum locum occupare videbamus, sensim paulatimque ita remotum, ut magis remoueri nequeat, reperimus. Et IVSTINIANI exemplum comprobat, quod CASSIODORVS ait: *Bonus princeps post omnes est.*

§. XLIX.

^{b)} Cap. I. §. 1.

^{d)} pag. 10. *Quod si nemo — adire velit, tunc ad reliquos ab intestato quos lex post scriptum quidem sed cui*

legitima tantum porrio per hanc legem conceditur, vocat, bona deferuntur.

Habes ordinem, ex, quo iure nouissimo, successio destituta facta testamento deuoluitur, habes eos quos ad implendam competentem deficientis voluntatem inuitauit Imperator. Sed parum utilitatis id adferret, nisi medium excogitasset FLAVIUS quo omnes continentur datam fidem liberare, legisque intentionem non efficere irritam. Nihilominus enim omnes importuni esse possunt, nec elogii formulam obseruare, licet eum in finem vt adimpleant, sint vocati. Ideo omnibus imponit lex nostra cauere, se velle complere quae in testamento continentur. Neminem nisi primum heredem institutum atque fiscum ab hac cautione immunem perspicio: reliquis vero iniungit saepius vt cautionem praestent, siue substituti, cohaeredes, fideicommissarii legitimi, siue alii sint. Iuuabit legis verba adponere; sic ait enumeratis personis in ipso elogio scriptis — *cautione videlicet prius ab eis facta secundum quod personarum vel rerum perceperit modus, quia res percipientes agent in eis quae recte voluerunt testatores.* Et legitimi similiter praebentes cautionem quia complent quae testamento continentur, ad successionem tantum admittuntur. Ipsa cautionis conditio in verbis: *secundum quod personarum vel rerum perceperit modus* latere videtur. Haec omnia eum in finem fiunt, vt non sine aditione morientis remaneat hereditas, & vt compleantur deficientium competentes voluntates & quae in testamento continentur atque per testantem praecepta sunt. Hoc enim saepissime repetiit Imperator, & implementum elogii cuiusque separatim iniunxit atque praescripsit: nemine ne ipso fisco quidem in defuncti fauorem excepto. Omni vero in casu testamenti tabulas tanquam normam proposuit, secundum quam disposita sunt implenda, modo ita sint comparata, vt natura implementum eorum admittat. Adeo fauit decedentibus vt vbique

se-

seruare studeat voluntatem, quod ex eo patet, vt Falcidiae prohibitionem non solum omnibus permiserit, sed etiam necessarium esse, valere testatoris sententiam dixerit ^{k)}. Si ergo & eam ob rationem, quoniam falcidiam non habeat, institutus omittat causam testamenti, nil obest dispositioni, sed salua manet, & vires habet aliis successione ex supra explicato ordine delata ^{kk)} ideo dixit Imperator: *aut si parere noluerit, eum quidem recedere ab huiusmodi institutione locum vero fieri (sicut dudum praediximus) substitutis, & coheredibus, & fideicommissariis & legatariis & seruis, & iis qui ab intestato sunt & aliis secundum prius a nobis inuentam in talibus viam l)*. Haec verba satis superque veritatem opinionis meae demonstrant, probant, & ex iis solis argumentum adstruere potuissim, nisi iam plures rationes adessent, quare illa coronidis loco adposuissim sufficiat. Omni enim iuris ratione contrarium fuisset, si illud medium, puta quartam L. Falcidiae ideo ab auctore inductam, vt legatarii certius ab herede perciperent, ea quibus honorati in testamento, nisi simul aliquid excogitasset, cuius auxilio eodem modo securi reddantur. Et haec est Nouellae nostrae capitis i. dispositio, qua testamento destituto vires tribuit. Fac igitur et eam ob causam, quoniam quartam saluam non habeat, institutum aditionem omittere, sicque testamentum destituere inde legatarii damnum non percipiunt, sed deuoluta hereditate ad eos quos vocauit Imp. omnia ex voluntate testatoris percipiunt, ac si adita hereditas esset.

§. L.

Colophonem interpretationi, legis nostrae impono quae forte quibusdam nimis longa videtur. Mei iam esset, vires de-

M 2

sti-

k) Nou. I. Cap. 2. §. vlt.

Justinian. p. 392. eamque ob causam Imperatori dicam scribit.

kk) Plane haec componere nequit doctissimus Ictus Fr. BALDUINVS in Iu-

l) cit. loc.

sticuri testamenti ex lege nouissima per singula probare, at per-
spicio in quantam molem excreuerint hae primae lineae vicissitu-
dinum, quas vires testamenti destituti sunt expertae. Differo
igitur vberiore tractationem in aliud tempus, cum in altera li-
belli parte reliqua exponere promiserim. Absoluta ergo sus-
cepta sparta discedo, meque B. L. quam optime commendo.



DIGNIS.

D I G N I S S I M O
H O N O R V M D O C T O R A L I V M
D N. C A N D I D A T O

S. P. D.

D A N I E L N E T T E L B L A D T
O R D I N I S I C T O R V M H. T. D E C A N V S.

Valde laetor, me TIBI iterum gratulandi, commodam occasionem nactum esse, quam nolui praetermittere. Vix sex mensium spatium praeterlapsum est ab eo tempore, quo TE in cathedram duxi, in qua cum summa laude stetisti, & masculae defendisti doctam TVAM dissertationem de *legitima parentum portione*. Nunc iterum cathedram adscendis, & publico eruditorum examini submittis, praefens nouum specimen TVAE eruditionis, pro obtinendis summis in vtroque iure honoribus, in eoque aliam particulam arduae doctrinae de successione romana, fo-

N

li.

lide & cum magno eruditionis apparatu, explicare suscepisti. Verumque specimen satis comprobat quantos in iuris studio feceris progressus, & de TE optima quaeuis sperari posse. Inde vero tuto concludi potest, TE non in otio vixisse, sed omnem industriam collocasse in addiscenda iurisprudencia, & ita esse sciunt omnes, quibus innotuisti. Contigit TIBI ea felicitas, quod in hac vrbe natus & educatus sis, & commoda TIBI inde enata non neglexisti. Iactis itaque fundamentis in gymnasio, vt & in paedagogio regio, magno cum ardore in nostra academia aggressus es iuris studium, nullamque praetermisisti occasionem, colligendi eruditionis thesauros, quos nunc exponis. Omnes, quorum manu-ductione vsus es in formando TVO ingenio, admirati sunt TVAM industriam, & praeuiderunt diu eius fructus vberriimos, qui nunc maturefcunt. Impleta nunc est spes optima de TE concepta, postquam finitis annis academicis adiiisti Illustrem ICTorum ordinem & petiisti, vt TIBI conferantur summi in vtroque iure honores, dum, admissus ad examina consueta, comprobasti TE esse dignissimum candidatum, honorum doctoralium in vtroque iure TIBI, me interprete, conferendorum. Gratulor itaque TIBI ex animo tam felicem studiorum TVORVM progressum, & mihi de condito, qui abunde meretur, decretos honores. Plura non addo, cum credam TE non dubitare, me TIBI bene cupere, TEque valde amare, quam omnium amore dignus sis.

Dab. Halae V. Octobris cloccclxxxiii.

Halle, Diss., 1773-74

X 230 9444



1773

INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
ANTI DESTITVTI
RIBVS.

70

QVAM
ICTORVM ORDINIS
TORITATE
VTROQVE IVRE HONORIBVS
GIIS DOCTORALIBVS
TE OBTINENDIS
CTOBR. MDCCLXXIII.
ORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR
DERICVS ZEPERNICK
ALENSIS.



AE AD SALAM
I. C. H E N D E L.

